




GEMISTI
PRONOSTICO
1500

















AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM LEONEM DECIMVM PONTIFICEM MAXIMVM. IOANNIS GEMISTI GRAECI SECRETARII ANCONE. PROTREPTICON. ET PRONOSTICON.









¶ Ad. S. D. N. Leonem. X. Pont. Maximum Ioannis Gemisti Græci Secretarii Anconæ.

Epigrãma:



Vnera dent alii: Gẽmas: Sanctissime pastor
Atq; aurum: & Rubri quod uehit un da maris
Et uestes Tyrio tinctas bis murice donent
Aut quicq; libicis conditur in foueis
Arboreasq; etiam tenuissima stamina lanas
Quas legit: & lectas serica pectit anus
Veloces ue canes media lacedemone natos
Aut cæleres aura: qui generantur equos:
Accipitresq; leues Rhipheis montibus ortos
Quos rapida oceani perluit unda senis.
Hi quibus arridet melior fortuna fauetq;
Et sinit in patrio uiuere posse solo.
Ast ego quem patria profugũ dea seua cohegit
Inuitum externis degere liminibus:
Non mihi gẽma nitet non dat mihi iupiter aurum
Non est bis tyrio sanguine tincta toga
Serica nec uestis non indi munera ponti
Non catuli cæleres: non mihi dantur equi
Non & opes multæ pingui tellure creatæ
Quas libica: ut perhibent orrea magna tenent
Nec minus accipitres gelidis in montibus orti
Quos uagus ad nostram Sarmata fert patriam

Carmina sola dabo: Carmen fortuna negare:
Aut rapere ingenii præmia fida nequit.
Hæc ego non dubito cunctis præponere gazis
Hæc dant æterni nominis Imperium:
Diuitiis periturus erat Sed carmine uiuit
Quisquis ab antiquis noscitur hystoriis

¶ Ad. S. D. N. Leonem. X. Pont. Maximum
Ioannis Gemisti Græci a Secretis Anco
næ Protrepticō: & Pronosticon:



Taliæ sublime decus Columēq; uerē-
dum.
Ac patriæ generisq; tui spes unica clari
Sancte pater: Magni Laurenti maxi-
ma proles
Quem genuit felix Florentia mater
amorum
Progenie illustri: ac magnorum e semine regum
Thuscorum insigni medices de stirpe: domoq;.
Qui regum ausoniæ quondam procerūq; potentum
Magnorumq; ducum: Solus secreta tenebat
Seruabatq; diu sacrato in pectore condens.
Ac belli & pacis fidus moderator & auctor
Semper erat: Lætus patriāq; in pace regebat.
Nec minus & generis materni gloria clari
Est tibi sancte pater: romano e sanguine magni
Pompei fluit ursa domus generosa potensq;
Inter Romulidas pollens uirtute opibusq;:
Ac totum gaudens spargit sua facta per orbem:

Accipe graiugene fatalia carmina uatis
Qui phæbi tripodas nuper Scythiceq; diane
Cornigeriq; dei sacrum: Castæq; mineruæ
Dodoneasq; etiam uolucres: & numina brãchi
Consuluit: cœpitq; pium sub pectore numen.
Ipse ego pieridas testor: mea numina: diuas
Vera cano: nec me falsis insomnia formis
Ludificant: fictum ue fero sub imagine carmen:
Sed quæ fatidico nuper mihi proddidit ore
Cynthius: & liquidis sparsit mea tempora lymphis:
Castaliumq; dedit labris aurire liquorem
Tu modo tu facilis nostram patiare carinam
Pandere uela notis liquidum ue per aera pẽnis
Ire nouis: Liceat uacuum mihi currere campum
Per quem meonides melius sua frena dedisset.
Phæbe pater cœptis uel tu prius annue nostris
Calliope: Cui fata deum sublimia soli
Fas reserare mihi: Superumq; recludere sensus.
Aspice q̄ faueant semper pia numina cuncta
Celicolũ tibi sancte pater: pastorq; piorum
Qui Christum laudant: dominumq;: deumq;: fatentur.
Nam pater omnipotens: noster dominusq; deusq;
Saluatorq; orbis: Te solum ex ordine toto
Cardineo elegit socium: regniq; ministrum
Aetherei: pontumq; dedit terrasq; regendas:
Concessitq; piam sedem: clauesq; potentes
Quæ portas reserant clausas: clauduntq; patentes
Elisias: Tribuuntq; piis sua præmia sedes:
Lucifer unde ferox cecidit sotiiq; superbi
Ingratus qui se propria uirtute putarat

Esse parem superum regi: næc cedere posse:
Quem deus ad stigias latebras: & tartara trusit:
Errorisq; sui patitur per secula pœnas.
Non hæc sorte tibi non hæc sine numine diuum
Euenisse putes: quis enim tam stultus & excors
Ingeniiq; expers: qui se sine numine credat
Viuere posse dei: famãq; extendere factis
Non nisi mentis inops: cui magna superbia: nãq;
Stant immota homini semper cælestia fata
Quæ mutare potest nullus de gente deorum
Aut homini uitare licet næc posse licebit
Quod semel in fatis ratum est: manet ultima semper
Certa dies cunctos: & non reparabilis hora.
Sed quodcũq; gerunt homines quodcũq; sequuntur
Quod natura facit iam certa lege creatum est
Aeternumq; fuit: fixũq; in mente tonãtis.
Non tamen hoc animos hominum: mentesq; solutas
Ingeniũq; pium terrenis nexibus expers
Attrahit inuitum: næc uim renuẽtibus infert.
Sed uelut intactum licet: & sine sordibus aurum
Sit: tamen ut melius purum uideatur in ignem
Ponitur: & flãmis bis: terq;: quaterq;: probatur.
Sic & celicole mortalia pectora duris
Aduersisq; præmunt: animosq; & corda fatigant
Horum: qui clara generati e stirpe uidentur
Posse pati quodcũq; malum uirtutis amore:
Atq; ita conspiciunt uiresq; animũq; probantq;:
At genus humanum: cuius mens inscia ueri
Et tenebris imersa malis: decreta tonantis
Fortunam casumq; uocat: sortẽq; ueretur

Non superos qui cuncta hominum præcordia norunt
Palpitat:& ueris uacuum uirtutibus errat:
Errorisq; sui patitur post funera pœnas.
Adde q ignorant homines cælestia fata
Et quinq; errantes stellas:& sydera fixa
Næc solis cursum:næc lune tempora norunt
Aspectusq; suos:aut quid nascentibus hora
Vel dominus ualeat surgentis in ordine signi:
Quid ue per obliquum gradientia sydera terris
Defluxus tribuant:& corpora cuncta gubernant
Quæ mare:quæ tellus:liquidus quoq; sustinet aer.
Te nun c magnanimus quondam:fortisq;:piusq;:
Iulius antistes Christi summusq; Sacerdos
Successore nouo gaudet:ueneratur amatq;:
Exoptatq;:animo quod iam conceperat ille
In turcas bellum:maurosq;:arabasq; perustos:
Perte non alium:confectum cernere posse
Euenietq; sibi tota quod mente requirit.
Infaciēq; dei cernens:oculosq; reuoluens
Quæ sunt quæ fuerant:& quæ futura putantur
Agnoscit gaudens:& læta mente quiescit.
Quare age ne dubites:uiresq;: animūq; potentem
Sumere pontificis magni patrisq; beati:
Qui pietate omnes superas uirtute fideq;:
Nam pater omnipotens rerum cui summa potestas
Imperiumq; orbis:pariter terræq; marisq;
Empireiq; etiam cœli:Stigiæq; paludis
Magna dedit multumq; tibi maiora daturum
Spondet:& æternum pariter post funera nomen:
Instituitq; etiam iam tum cum sponte crearet

Omnia quæ nostris oculis: & mente uidemus
Principiumq; daret rebus: uariasq; figuras
Vnde hominum pecudũq; genus uolucrũq; ferarũq;
Et qui ceruleo gignuntur in equore pisces
Nascitur & mundum generando singula complet:
Vt tu non alius græcorum sanguinis ultor
Esses: & Imperii clarus per secula uindex
Erripiesq; omnes Christi qui nomen adorant
Seruitio immiti: Lætosq; in pace penni
Constitues propriasq; domos: & mœnia dones:
Tu modo sume præcor uires animumq; potentem
Ingeniumq; pium: & fatis da frena secundis:
Incipe nunc bellum quod iam pia fata deorum
Constituere tibi: promissaq; præmia quere
Incipe ne dubites: dabitur uictoria certa.
En tibi conueniens tempus sanctissime pastor
Nãq; uides quantis uexatur græcia probris
Immerita: & quantis lacerentur corpora graium
Suppliciis: & quot patiantur ubiq; ruinas
Templa modis ueneranda dei: lachrymabile uisu:
Proh superi: miseranda quidem sed uera fatebor
Et quæ non homines tantum uerum atq; leones
Magnanimos: rabidosq; lupos: Tygresq; feroces
Flectereq;: & lachrymas: oculis excutere possent.
Aspice quot gemitus luctusq; miserrima tellus.
Græcia nunc patitur magnos: lachrymasq; perennes.
Cum uideat sine iure præmi sua pignora natos.
Qui ueluti pecudes per compita perq; plateas
Venduntur miseri (proh Iupiter) atq; trahuntur:
Heu heu quid referam mulierum probra pudenda

Nobilium: quas turca ferox: uiolatq; rapitq;:
Matronas: uiduasq; simul: pulchrasq; puellas
Et pueros cogunt: passim prostare per urbes:
Ac præcium dominis fedum portare nefandis:
Atq; id ni faciant: ceduntq; obitumq; minantur.
Pellicibusq; alias dominis seruire superbis
Ac spurios passim pueros portare per urbem
Et siqua ingenuo miseranda pudore negarit
Supplicium patitur magnum: mortemq; misella.
Sed maiora quidem grauioraq; graia iuuentus
Infelix sine lege luit: miserabile dictu.
Nãq; hi: proh superi: nudi uinctiq; catenis
Effodiunt terras: aut grandia pondera portant:
Qualia non nullus ferret: fortisue camellus
Aut elephas magnus: quem felix india gignit
Ast alii inuiti fodiunt mundantq; clohacas
Hi portant humeris limphas uenduntq; per urbes:
Ast alios sudibus lacerant uirgisq; malignis:
Insontes Turce rabidi: nimiumq; fatigant
Ast alii currus humeris de more iumenti
Nocte dieq; trahunt miseri sine fine fideles
Non nullos ueluti paruos pinguesq; suillos:
Affigunt uerubus, uiuos pallisq;: trementes:
Membratimq; alios cedunt: membrisq; recisis
Semianimes iaciunt Campis: Truncosq; relinquunt
Vulturibus predam: Canibus: Coruisq;: Lupisq;.
Hos mandunt rabidi uiuos: Lacerantq; leones
Diripiuntq; aliis uultum: nasumq; auresq;
Accipitres docti: atq; oculos & lumina uellunt
Affiguntq; alios crucibus: radiisq; rotarum

Cruribus effractis alios nectuntq; ligantq;:
Hi furcis pendent:alii sine lege columnis
Nudati:& uincti:iaculis implentur acutis:
Hos ceruice tenus:fodiunt:atq; undiq; terra
Circũdant stantes miseros:uiuosq; relinquunt:
Vtq; magis uiuant:cererem bacchũq; ministrant
Et sic heu miseris paulatim membra putrescunt.
Ast alios elephas magnus:promusside sæua
Corripit:ac medios spiris uoluentibus arctat
Et iacit in coelum miseros:ac dente supino
Expectat figitq; simul laceratq; ruentes:
Atq; alia innumera exquirunt tormenta nefanda
Immanes turce:quæ si modo cuncta referre
Malluerim:potius mergetur in equore titan
Et licet exclament: Dominumq; deumq; præcentur
At tamen heu:miseri tandem moriuntur inulti
Quodq; etiam peius nunq̃ de morte resurgent:
Aspiciant ue diem:nisi cum suprema per orbem
Tuba canet:cunctosq; homines qui iam periere
Et qui tunc uite fungentur munere dulci
Horrendum bis terq; sonans:ad signa uocabit
Iudicis inuicti:faciemq; oculosq; uerendos
Terribilemq; etiam sedem:uocemq; tremendam
Qua pater omnipotens procul hinc procul este profani:
Exclamans sontes miseros ad tartara mittet.
Ecce etiam maiora quidem potiusq; pudenda
Quã toleranda canam:tantas memorare ruinas
Templorum miseret:uel quot uiolentur ubiq;
Fedenturq; modis uariis:& quanta per orbem
Delubra immerito:patiantur probra nefanda:

Dedecus heu fidei nostræ: mihi crede: tibiq;
Collegisq; tuis pastor sanctissime sanctis
Cardineis: quis cura dei: studiumq; perenne
Christicolas seruare pios: populosq; fideles:
Esse debet cunctos: & templa illesa tueri.
Sed tamen: heu facinus: cernis quot fana profanat
Turca ferox: Laceratq; modis proh singula miris.
Nanq; hoc fit stabulum terrum: carcerq; leonum:
Atq; ubi iam sueuit missam celebrare sacerdos
Ha scelus indignum: Lacerantur corpora uiua:
Christicolum: manditq; leo morientia membra
Fedanturq; pio diuina altaria tabo:
Ast alia euertunt: & saxa immania tollunt
Edificantq; domos: & celsa palatia condunt
Aut pontes faciunt magnos: fabricantq; sepulchra
Grandia: nobilium famæ monumenta uirorum:
Hæc thermas faciunt uel frigida balnea turce.
Cernitur hoc fornix turpis: fedumq; lupanar.
Nec minus: heu superi: magnum & memorabile templũ
Delubrumq; dei sanctum: quod græcia quondam
Magnanimis fecũda uiris opibusq; superba
Marmoribus uariis: magnisq; altisq; columnis
Innumeris: claro iam tum de marmore factis:
Condidit exultans: molemq; ad sydera duxit
Quadratam: clausitq; locum sepsitq; quaternis
Porticibus circum: Spaciisq; ingentibus æquis:
Ast medium templi magnum est: mirabile uisu.
Nanq; unum inferius pulchrum nimiumq; superbum:
Desuper atq; aliud simili conamine structum
Cernitur: & superat curuato uertice nubes

Angulus atq̧ etiam: Tumbam super ethera celsam
Quisq̧ suam pariter sinuato culmine condit
Quas inter media est maiorq̧ atq̧ altior una
Ac super ingentes arcus conuexaq̧ templi
Ceruleo contexta uides super aera plumbo
In quo non poteris quicq̄ conspicere ligni
Sed totum ingenti constructum est undiq̧ saxo
Ac domini Sophiæ sacrum penetrale dicauit:
Hic parius: gnidiusq̧ lapis: frigiusq̧ limiusq̧
Porphireusq̧ nitet durus: fragilisq̧ onychites:
Armeniusq̧ ruber pariterq̧: & naxius albus:
Luculeusq̧ niger quem germinat insula nili:
Spartanusq̧ etiam uiridis: lucensq̧ alabastrum:
Et quem producit nimbis agitata caristos:
Memphitesq̧ nitens: & quem carraria mittit:
Fusilis ut perhibent nec non clarusq̧ Alabantes
Ac numida insignis. maculisq̧ ornatus ophites
Innumeriq̧ alii quos totus germinat orbis
Cernuntur: templi circūdantq̧ undiq̧ muros.
Verum intus paries simili de marmore textus
Collucet uario aspectu: totusq̧ coruscat:
Sed Tholus interior templi: uel concaua celsa
Tumbarum radiare uides de marmore puro
Frustratim ceso simili: pariterq̧ minutim
Argentoq̧ etiam claras auroq̧ figuras
Artificis fecere manus: Conamine miro:
Inq̧ etiam cœlo mediæ subtægmine tumbæ
Forma dei summi magno compacta labore
Irradiat splendetq̧ oculis: ac tota relucet
Quam prope cum ueneris uisumq̧ admoueris illi

Lustrarisq; oculis: ingens maiorq; gigante
Apparet nimium: Sed cum descenderis infra
Aequa homini iusto effigies: & forma uidetur:
Sub pedibusq; tuis uariis asarota figuris
Marmore consimili cernes similiq; labore
Cũq; super graderis fluitas: labiq; uideris:
Quodq; etiam maius gradientem in marmore cernis
Effigiem corpusq; tuum propriamq; figuram:
Agnoscisq; oculos: pariter nasumq; auresq;
Atq; manus digitosq; tuos faciemq; decoram.
Immanesq; etiam portas struxere pelasgi
Barbarico luxu lucenti ex ære Corinthi
Argentoq; auroq; simul uarioq; metallo
Celatas circũ arboribus multisq; figuris:
Cui cedit babilon longo fabricata labore
Cornigeriq; dei templum rhodiusq; colossus
Mausoliq; etiam clarum magnumq; sepulchrum
Ac templi triuie laudati semper honores
Quamq; iugum cynthi retinet super ethera ductam
Cornibus ara frequens: pueri preludia phebi:
Romuleusq; labor iam Cæsaris amphitheatrum.
Non hoc praxiteles nolet fabricasse magister
Phidiacæq; manus: memorabilis & policletus
Temporibusq; etiam nostris duo lumina clari
Ingenii fortisq; animi bramas & caradossus:
Magnanimus nuper geminis quibus ille magistris
Iulius antistes Christi: memorabile factum
Aggressus: templum eximium molemq; superbam
Amplificare petri cœpit super ethera ducens:
Fecissetq; libens: operi finemq; dedisset:

Inuida ni lachesis soror implacabilis: illi
Atropos: heu facinus: trūcasset police fila:
Hoc tam sydereū templum: & penetrale sophiæ
Immanes Turce latebras Machmetis iniqui
Nunc faciunt retinentq; suam sine nomine moscheam
Atq; ubi christicole: precibusq;: & thure solebant
Carminibusq; piis dominum placare triformem:
Obsequium nunc turca ferox cultumq; profanum
Machmeti prestat misero: dominumq; fatetur
Electumq; dei: & uocis precibusq; fatigat.
Qui populos quondam uerbis monitisq; malignis
Seduxit uarios: legesq; ac Iura nefanda
Instituit: uitamq; dedit moresq; superbos:
Horresco referens: etenim quis talia fando
Abstineat lachrymis: luctu: gemituq; penni
Non nisi crudelis nimium: cui ferrea corda
Marmoreumq; dedit pectus natura creatrix:
Ipse ego dum recolo tot funera dira meorum
Graiugenum: gemitusq; pios: & probra nefanda
Excidiūq; ingens populi gentisq; pelasgæ
Olim magnanime: clare nimiumq; potentis
Templorumq; etiam uarias: magnasq; ruinas
Obstupeo rigeoq; miser totusq; tremisco
Et timeo ne me niobes fera fata sequantur

Caput Secundum


Eu patria infelix: fidei domus inclita quondā:
Heroum genitrix: & mater clara deorum:
Heu ubi nūc proceresq; tui: sanctusq; senat9

Magnanimiq; duces:populi:regesq; potentes
Heu ubi æsonides:ubi nunc tyrinthius heros
Qui terre domuit reges:seuosq; tyrãnos
Indomitosq; duces:gentesq;:ac monstra cecidit
Effera:quæ populis crudelia damna ferebant.
Purgauitq; orbem:geminus testabitur anguis
Primitiæ puero alcidi uiteq; laboris:
Quos ille intrepidus manibus collisit utrosq;:
Nemeusq; leo:cuius laniauerat ora
Atq; ipsum in pugnas humeris gestabat inanem
Pro clipeo:& galea magnum corpusq; tegebat.
Quamq; ferunt capita alta pii gestasse poete
Hydra iacens septem testis:lernea propago:
Monstrum orrendum ingens quondam cui fata dedere
Credere si dignum est una ut ceruice recisa
Impia:proh superi:totidem sine fine renasci
Infernæq; hecates:uiolentus ianitor aule
Cerberus:horrendo iam tum detractus ab antro
Tartareo:ut perhibent.pauidus:cui uertice trino
Ternum ferre caput:superi tribuere potentes
Et tria latranti recludere guttura fœda
Terrificasq; etiã totidem producere uoces:
Aeripedisq; fere minitantia cornua ceruæ
Anteusq; ferox tellus cui libica uires
Prostrato genitrix nato geminabat ouanti
Ac lapithe immites bello:pariterq; biformes
Centauri horrendi:pestisq; erimanthia porcus
Alcides humeris:uiuum quem gesserat olim
Stimphalidesq; feræ innumere rabideq; uolucres
Vnguibus:& rostro rapientes semina campi.

Tuq; etiam uenerande senex: quem prouidus ille
Amphitrioniades defessum pondere grandi
Sydereo: imposita paulum ceruice leuauit.
Gerion & triplex olim regnator hiberus:
Magnanimus: Superos cui iam tribuisse fatentur
Tergeminos artus animamq; incorpore trinam
Tu quoq; qui inuarias mutabas membra figuras
Testificare precor nostris acheloe camenis:
Immanisq; olim lacio de sanguine predo
Cacchus auentini memoranda infamia collis:
Aegeiq; etiam purgata e sordibus aula
Auxilio immissi iã dudum fluminis: atq;
Sarcophagi diomedis equi: fortisq; puelle
Balteus Ippolites: regi gratissima dona.
Heu ubi nunc telamon magnus salaminius heros
Thessalus atq; potens strenuusq; in prælia peleus
Iphidamas: Canthusq; feri: fortisq; phaleron
Nabolidesq; iphitus: Coronusq;: & durus iphiclus
Philacides: cuius iãdudum armenta melampus
Carmine surripiunt duxitq; per aera sacro:
Enniadesq; butes: pretusq; & lucida proles
Magnanime lede gemini: summiq; tonantis.
Heu ubi euridamas patiens rapidusq; menetus
Laodocusq;: alausq; truces: & areius ingens
Tergemini fratres: generosi proles abãtis
Enchion: euritusq; simul cum fratre superbo
Aethalidæ aligeri mercurii digna propago
Agniadesq; etiam Tiphis: qui lora Carinæ
Argoos tenuit sapiens duxitq; per equor
Primus: nec timuit sæuas audire procellas:

Turgentesq; maris fluctus scopulosq; minaces:
Cernere: ueligeris nimium uitanda carinis:
Necq; animo aduertit tantum se a morte deesse
Quantum nauigii: fuerat latissima pinus:
Heu ubi nunc nauplus fortis neptunius heros
Et boreæ nati gemini zetus: calaisq;:
Qui celeres poterant cursu præuertere damas
Illesasq; etiam pedibus transcendere aristas:
Amphionq; ferox animo: Asteriusq; superbus
Agneusq; senex sapiens: pleuronius ille
Qui cœli cursus: & lucida sydera nouit
Inuenitq; locos: numerosq; admiserat omnes
Seruauitq; diu: motusq; & signa tuendo
Zodiaci: dominosq; orbis: docuitq; futura.
Orpheus atq; ingens: rapidos qui sistere cursu
Consueuit fluuios: uolucresq; allicere cantu
Euridicemq; suam fidibus reuocauit ab orco.
Linteus atq; potens armis : animoq; superbus
Qui cœli empirei summum: Terræq;: marisq;
Tartareiq; lacus fundum stigiæq; paludis:
Credere si dignum est: oculis penetrabat acutis:
Heu ubi & Asterius proles generosa comete
Cenneusq; ferox: Venerem qui nouit utramq;
Armipotens: animoq; ingens: cui fata dedere
Vt nūq̄ ferro posset contingere mortem
Sed tamen hei misero: fatum uitare nequiuit
Nam lapithe innumeri: celeres: ippoq; superbi
Centauri: arboribus: multis texere ruetem
Ac uitam infelix: sic est finire cohactus:
Quem pater omnipotens: hominis fa[illegible]iq; misertus

C

Effecit uolucrem pēnis plūmisq; decoram.
Inniusq; ferox: admetus: & impiger archas
Cepheus qui nudus: pellem bistonidos urse
Pro ueste: & tunica iam tum gestare solebat:
Perseus ac uolucer: forcinidos ora medusæ
Qui ferro abscidit: rapuit: gestatq; puellæ:
Theseus atq; ingens: qui iam dominatus athenis
Tot reges populosq; feros: & monstra cecidit
Surripuitq; helenam primo intactamq; remisit
Ad patriam: proauosq; suos carāq; parentem:
Atq; alii miniæ: quibus axena littora ponti
Aeetemq; senem: phassim seuūq; draconem
Igniuomosq; boues: Colchūq; magamq; puellam
Cernere Contigerat præciosaq; uellera phrixi
Ad patriam portare suam: propriosq; penates.
Heu quantum melius possent nunc mœnia spartes
Olim magnanimæ: populum carosq; nepotes:
Atq; lares proprios: belloq; armisq; tueri:
Immanesq; uiros ferro prosternere turcas.
Heu patria infelix: utinam tibi maximus ille
Afforet æacides nunc: & duo fulmina belli:
Atride gemini fratres regesq; potentes:
Tididesq; ferox: nec non telamonius aiax
Mnesteus: & Teucer: iaculo metuedus & ense
Peneleus: piliusq; senex: & durus Vlixes
Et thoas & leirus clari armis: & Thrasimedes:
Afforet: & phænix custos fidissimus olim
Aeacidis magni: pariter sotiusq; patroclus:
Gentilesq; mei podalirius: atq; machaon:
Insignes medici: felix epidauria proles:

Quos genuit pater ille pius: quem membra soluta
Ippoliti iunxisisse ferunt: uitamq; dedisse.
Niceus eximiæ formæ: fortisq; phaleron
O utinam & calchas uates: qui corda deorum
Afforet agnouit sapiens: docuitq; futura
Forsitan & posset quæ sunt arcam tonantis
Pandere fata tibi: & luctum lachrymasq; leuare.
Phileidæq; ambo: meges: rapidusq; diotes:
Antiphusq; ferox armis: opibusq; superbus.
Pelidesq; neoptolemus: cui fata dedere
Vt sine se Troiam grai superare nequirent:
Afforet & clonius durus: castusq; prothenor:
Atq; etiam alcidis sotius: cui spicula dira
Ille ferox moriens fatalia dona reliquit.
Ac natus quondam generosus fortis iphicli
Prothesilaus atrox rapido cum fratre podarce
Merionesq; potens: & maximus Idomeneus
Concordes nimium simul: & quibus una uoluntas
Atq; animus constans: unusq; in pectore bino.
Nec non & toto semper memorandus in orbe
Telephus: ut perhibent ingens: famaq; perēnis.
Schædius: antilochusq; potens: fortisq; agapenor
Quiq; suo liciam iam tum tepefecerat astam
Sanguine Tlepolemus nimio ceciditq; sub armis.
Atq; alii innumeri proceres populiq; uiriq;
Ductores danaum Troiana ad bella sequuti
Qui facile immites possent prosternere turcas
Atq; Asiæ populos iterum consternere ferro.
Non nunc Miltiadas: codrosq;: miserrima tellus
Solonesq; pios generas: doctosq; liturgos

Græcia: non nicias claros: agidasq; potentes
Aut pirros belli nimia uirtute feroces:
Ac mutare simul: uel ponere castra peritos:
Aut similes iuueni qui tot fera regna subegit
Et darium persam: Magnum quoq; corpore porrum
Indam: Magnanimos reges dominosq; potentes
Vicerat & uictos: regnis spoliauit & armis
Ac toti leges uictor dedit impiger orbi:
Nec minus atq; illi quem iam panachaia felix
Constituit fecitq; ducem: belliq; magistrum
Barbarici: Xerxem qui quondam nomine clarum
Persarum dominum: ut perhibent: qui milite uasto
Opperuit terras: pariter solemq; sagittis:
Velificauit athon, classemq; per auia duxit
Siccauitq; austu fontes: fluuiosq; perennes
Europamq; Asiæ iunx: mirabile dictu:
Consilio: & armis uicit uictumq; fugauit.
Non nunc eumenes: non nunc Marathonia pubes
Quæ uix sexcentum decies: fera bella gerentes
Milciadis ductu iuuenes quos misit Athena
Bisdecies totidem: numeroq; armisq; superbos
Vicerat: & uictos fessis dare terga cohegit:
Non nunc euagore non nunc generantur arati
Non perides clarus bello: fortisq; phocion
Non nunc Thimoleon sapiens: non nunc philopemē
Consilio & armis clarissimi: & alcibiades
Ingenioq; armisq; ferox: nec non deomenes
Innumeriq; duces alii: regesq; potentes
Quos numerare omnes nequeo: nec postulat hora.
Et licet infelix careas tot regibus altis

Ac ducibus populisq; modo ueteriq; senatu
Attamen abstineas lachrymis: luctuq; perennis
Et gemitu assiduo: finita est ultima tandem
Fatorum series: crudelis & ira deorum.
En leo de iuda surrexit stirpe tribuq;
Promissus toties ducibus populisq; futuris:
Quem cecinere pii uates: quos spiritus olim
Imbuerat sanctus monitis docuitq; futura
Pandere ueridicos: mentemq; aperire tonantis.
Hic est ille cui fusi iam sanguinis ultor
Græcia: qui rabidos Turcas populosq; feroces
Consilio: & bello uincet: uictosq; fugabit.
Et tibi restituet sacrum diadema uetustum:
Imperiumq; ingens orbis: sine fine: tuosq;
Libertate frui populos: & pace perenni
Instituet: legesq; dabit: legumq; ministros.
Quare age sancte pater: populi pastorq; fidelis
Ad te confugio: & fidens mea carmina uerto
Auxiliumq; peto patriæ: Supplexq; requiro
Nam licet auxilium patriæ cuicũq; præcari.
Rompe moras belli: christiq; insignia pande:
Mitte per immensum legatos: mitte per orbem
Ordine cardineo: prohibe & ciuilia bella
Abstineant omnes armis & sanguine sacro
Chricole reges: proceres: populiq; fideles:
Præcipe: nãq; potes: Christi regis ordine sedem:
Vtere pontificis curis: animoq; potenti:
Adde minas etiam cunctis: gladiumq; ministra
Quem tibi sancta dei felix ecclesia donat.
Fac pacem faciant interse: & federa iungant

Ni faciant:hostes christi dominiq; rebelles
Esse omnes Iubeas:fidei quoq; honore carere
Præcipe præsbyteris:claudant ut limina sacra
Abstineantq; omnes missa & baptismate sancto:
Colloquia euitent:abdantur munera christi:
Pulpita destituant:teneantq; negentq; sepulchra.
Agnoscantq; suum:erroremq;:& dedecus ingens
Christicolæ ingrati:tandem furiasq; nefandas
Expellant animis: ueniant ad limina petri
Errorisq; sui ueniam:culpæq; requirant.
Quod si censuris:uiresq; ostenderis altas:
Pontificis summi:nec te submiseris ulli:
Conuenient alacres,parebuntq; undiq; Iussisq;
Vnanimes sanctis:quis enim mandata negabit
Ferre pii domini:& patris:cui summa potestas
Celorum terræq; data est:herebiq; profundi:
Non nisi mentis inops:cui magna superbia & ingens
Durities ceruicis inest:reuerentia nulla
Debitus atq; timor superum:Sed solus auerni
Atq; hecates crudelis amor ditisq; superbi:
Teq; triumphalem dominum:& tua signa sequentur
Expedientq; arma:& bellum properare cupiscent.

Caput Tertium.



Andite nunc elicona deæ claustrumq; mouete
Mittite perpetuum precor in mea tem pora carmen:
Vt tantos reges:& tot:memorare po. tentes:

Magnanimosq; duces ualeam: dominosq; feroces:
Et proceres: Comitesq; pios: christiq; fideles:
Et quot queq; uiri: peditesq; equitesq; sequentur:
Qui uexilla dei trini: dominum Leonem
Pontificem summum decimum comitentur ad arma
Vnanimes turcis rabidis fera bella mouentes.
Primus ab arctois ueniet germanicus oris
Induperator ouans. animoq; uirisq; superbus
Quinquaginta illum peditumq; equitumq; sequentur
Millia magnanimi: domini Comitesq; ducesq;
Et franci innumeri populiq; urbesq; potentes.
Bauarie primus: ueniet dux inclitus armis
Saxoniæq; potens: & nobilis austrius heros:
Post hos aruerni populi: proceresq;: sequani
Marcomaniq; feri: Cymbri duriq; sicambri:
Teutonesq; alacres cantu fera bella gerentes
Norueiq; truces: hermũduri atq; chorusci
Basternæq; feri: peucini: eduiq;: chatiq;:
Hermionesq; etiam clari: chaubiq; superbi:
Atq; hosti nunq̃ uertentes terga sueui.
Burgundii illustres etiam num: bichurigesq;
Vindelici isthemonesq; pii: rapidiq; uarine
Amasii tuderiq; etiam: & celeres uagrones:
Quiq; colunt rheni ripas: ariiq;: ararisq;:
Albidis & pingues: pariterq; binominis histri
Hercimæq; etiam saltus syluæ: & galoretæ
Oceaniq; senis: glacie concreta niuali
Littora: ueligeris nimium uitanda carinis.
Post hunc francorum Rex christianissimus ille
Magnanimus: fortisq; potens opibusq; uirisq;:

Quinquaginta tibi peditum sex millia letus
Atq; decem ducens equitum grauium leuiumq;
Arcigerumq; etiam francorum millia quinq;
Bisq; decem Naues magnas: centumq; triremes
Terq; decem pulchras etiam celeresq; biremes:
Adueniet: monitisq; tuis iussisq; subibit
Quem torui innumeri proceres comitesq; ducesq;
Terribiles: dominiq; feri populiq; sequentur
Montiuagus primus gelidis sabbaudius oris
Dux animi uirtute ferox: opibusq; superbus:
Andegauusq; ferox: lazonus: & inclitus heros
Angolemus: Valesusq; etiam Borbonius atq;
Magnanimus fortisq; abanus: dominusq; Tremoglie
Vergerius Cialusq; feri: & pallissius atrox
Orengæq; potens princeps: dominusq; flagellæ
Eubeniusq; ferox animo: busiusq; periti
Militia: & bello: pariter castrisq; locandis:
Bompenserq; etiam dominus magrus: sapiensq;
Montasius: nec non fortisq; & clarus alegrus:
Attamen ante alios primus Mauortia proles
Ian iacobus erit senio uenerabilis heros
Qui uirtute omnes animi: pietate fideq;
Consilioq; armisq; simul castrisq; mouendis
Ductores danaũ superat romaq; creatos
Quosq; etiam felix iamdudum barbara tellus
Progenuit reges: dominosq; ducesq; potentes:
Et consanguineus iunior Theodorus in armis:
Ambo magnanimi: fortes: amboq; potentes
Armigeri: illustres animo & uirtute superbi:
Miliciaq; ambo: belliq; in iure periti

Ductoresq; ambo: pariter belliq; magistri
Atq; ambo geniti generosa e stirpe Triuulti
Insubrium sublime decus columenq; uerendum
Conuenient alacres: dominum Regemq; sequentur.
Sponte prior: quoniam cœli sibi fata dedere
Vt ualeat mentemq; piam uotumq; fidele
Ante obitum finire suum belloq; feroces
Infidosq; uiros ferro prosternere turcas.
Quiq; etiam potuit sanctum uidisse sepulchrum
Magnanimus quondam: nostri dominiq; deiq;.
Quos alii innumeri proceres populiq; sequentur.
Docta prior fortisq; simul parisina iuuentus
Et belgæ celtæq; feri: celeresq; aquitani:
Ac galli primo concursu semper in armis
Terribiles fortesq; uiri castrisq; periti
Lugduniiq; pii: scaldi: rapidiq; morini:
Cersiacusq; pagus: betasi: medioq; matrices:
Bellouaci: bassiq; feri: celeresq; rinuti
Texandriq; alacres: Tungri: fortesq; uerũni
Attrebates: neruiiq; simul: Treuiriq; remiq;
Ambianiq; truces: ac longis lingones armis.
Cattogosi: mandiq; uagi: frisiiq; feroces
Magnorumq; uiri domitores semper equorum:
Rauraciq;: Auonesq; feri fortesq; aulerti
Centomani: senonesq; alacres: boiiq; superbi
Cauratani: uenetiq; aspri. uariiq; uanetæ
Vasconesq; feri nimium: nimiumq; rapaces:
Lexouii: meldiq; truces: rapidiq; trecasses:
Centrones: uenami: Galetæq;: & Garucelli
Catturiges celeres: bellendæq; atq; bataui

D

Narbonæq; ingens populus:pariterq; Tolosæ:
Rottomagi:Genebræq; etiam numerosa iuuentus:
Non tantum bello:atq; armis:sed mercibus apta:
Nec non brugenses dites:Blesii superbi
Graiugenũq; etiam generati Massilienses
Progenie:properant patriæ succurre priscæ:
Vlcisciq; suos belloq; armisq; parentes:
Quiq; colunt Iuræ scopulos:& saxa gebẽne
Cẽmeniq; iugum geminum: Saltusq; pirenes:
Atq; alpes niuibus gelidas:glatieq; perenni
Quiq; ferunt ripas Rhodani:Rheniq; seueri:
Celtarum spurios qui tractos gurgite mergit:
Ast alios quoscũq; uidet de semine natos
Legitimo:illesos portat super equore uiuos
Matribus & pauidis iustissimus arbiter offert.
Quiq; bibunt gelidum ligerim: rapidumq; sequanam
Atq; uari dulces limphas:clarasq; garunæ:
Arduenãq; colunt syluam padumq; orientem:
Nec non oceani fluuii qui littora seruant
Et fugiunt fluxus uarios uitantq; refluxus.
Atq; alii innumeri:quos si memorare laborem
Ordine quemq; suo:potius mea lingua fatiscet.
Tertius hispaniæ uirtute Catholicus ille
Rex animi:fortisq;:pius:Christiq; fidelis:
Vtq; ferunt sanctus:domini qui nomen in orbe
Amplificare cupit:regnumq; extendere sanctum
Christicolum:& fidos Machmetis sternere ferro
Bisdecies peditum gaudens tibi mille uirorum
Insignesq; graues equites mille:& catafractos
Cornipedesq; leues totidem ter mittet in armis

Terq; decem naues magnas:celeresq; triremes
Bis totidem:& rapidas multas pulchrasq; biremes
Dux consaluus erit ferrantes nobilis heros:
Armipotens:promptus bello: dominiq; fidelis
Hunc alii innumeri: Comitesq; ducesq; sequentur:
Primus ad arma Comes stabilis castilius altus
Duxq; potens aluæ ueniet: fortisq; arauellæ
Et Comes inuictus lemie: Castriq; superbus
Monreiusq; ferox:& bondius:ac ribadeus
Atq; alii innumeri: Comites dominiq; ducesq;
Ac populi:fortesq; uiri: proceresq; potentes:
Quos siuiglia ferox genuit rapidumq; Toletum
Hispaniæq; ambe proprie gens prodiga uite
Tartessusq; uiris fecunda:& Corduba docta
Lucani natale solum:Senecæq; diserti.
Cantaber & durus:magni patiensq; laboris:
Memnoniusq; astur:Sonipes cui corpore paruus
Attamen immoto glomerans uestigia dorso:
Qui fodit infelix aurum:fossiq; colorem
Accipit:& retinet semper palletq;:metalli:
Quosq; etiam immitis Iuuenes gallatia mittet
Quæ solet humanis futura exposcere fibris.
Nec non uertonũ Susanumq; superba iuuentus
Herculeasq; simul qui cernunt sæpe columnas.
At grauii quondam:Cognati sanguine graiis
Exultant properantq; suis coniungere dextras
Patribus:& bello ueteres purgare penates:
Sanguine barbarico:ferroq; abolere parentum
Dedecus:ac rabidos armis prosternere turcas.
Ipse etiam fidei reiecto errore boemus

Armipotens fortisq; ferox opibusq; superbus
Adueniet supplex lachrymans:& poplite flexo
Erroris proprii ueniam: pacemq; requiret:
Teq; pium patrem dominumq; fatebitur ultro
Pontificemq; dei uerum: sine fine beatum
Aprehensisq; armis Christi uexilla sequentur.
Atq; etiam toto disiuncti ex orbe britãni
Albiones quondam: dicti gens aspera bello
Atq; opibus multisq; uiris : armisq; superbi:
Iberniq; simul bello fera corda uirorum
Ac scotii: gelidiq; Dace: prusiiq; fideles
Crucigeri: Sancti sub religione Ioannis
Baptistæ: qui signa ferunt dominumq; sequuntur
Vnanimes cuncti: pariter regnumq; nauarræ:
Atq; alii innumeri Comites populiq; ducesq;
Qui circũ oceani glatialia littora degunt
Aduenient omnes alacres & iussa capescent
Vnanimes: dominiq; dei pia signa sequentur
Ac ueneti illustres: terraq; mariq; potentes
Propugnatores fidei spesq; unica nostre:
Qui tot pro sancta cum turcis bella superbis:
Religione gerunt: & Christi signa tuentur
Pro quo iam toties multum sparsere cruorem
Vnanimesq; armis defendunt Itala regna.
Millia bisdecies: peditumq;: equitumq; uirorum
Et classem ualidam mittent opibusq; iuuabunt.
Nec Gonzaga potens deerit: uirtute superbus
Marchio magnanimus: genuit quem Mantua felix
Patria Virgilii musarumq; inclita sedes:
Estensisq; etiam sapiens belloq; probatus

Vrbiniq; ferox Iuuenis sed fortis in armis
Magnanimi clariq; duces dominiq; potentes
Insubriũq; nouus ductor generosus & atrox
Gloria sfortiadum gentis columenq; decusq;
Vnanimes uenient: & te tuaq; arma sequentur
Nec non & ligures magni frustraq; superbi
Ellatiq; animo: atq; odiis gentilibus acres
Innumeram classem longinqua per equora mittent.
Verum alii insignes populiq;: urbesq; superbæ
Oppidaq;: & sedi semper subiecta potenti
Romuleæ sanctæ domini fidissima regna:
Magnanimos fortesq; uiros in prælia mittent.
Prima dabit pedites equitesq; placentia uasta
Parma terribilis populo: felsinaq; pinguis
Corneliumq; forum belloq;: & pace probatum
Forliuiumq; ferox: figulisq; fauentia diues
Nobilis asparacis nec non sitiensq; Rauẽna
Dulcibus & puteis: & claris fontibus expers
Sed uetusta nimis: nec non & terminus olim
Consulibus latiis: ducibus: populoq; quirini
Armatis rubicon paruus: sed nomine magnus
Atq; huic uicinum properabit Ariminũ & arma:
Expediet: fortesq; uiros in prælia mittet:
Exultans animo: Turcarum sueta iuuentus
Sanguine dispergi quondam: Cæsenaq; dira:
Turribus & decorum: nec non clarũq; Pisaurum
Campanisq; etiam magnis pulchrisq; puellis:
In quo iam perhibent aurum tenuisse repostum
Et seruasse diu: numeratum ad munia belli
Romanum Imperium quondam nomenq; dedisse.



Fortunæq; etiam Fanum:& Senogallia parua.
Sed caput interea Piceni nobilis agri
Ancon clara:diu totum memorata per orbem
Eximio portu:cereri:castæq; mineruæ
Et baccho:assiduis gratissima collibus arua
Vrbs antiqua:fides quam dorica condidit olim
Regina ut perhibent:auxit plebs deinde sicana
Et tibi sancte pater nimium fidissima semper
Collegioq; tuo:pariter sediq; beatæ
Romuleæ:Nauale dabit:classemq; suberbam
In portu accipiet gaudens: uictumq; parabit
Et nautas animo fortes:belloq; probatos:
Suggeret equoreo fidos:Senasq; Triremes
Quas iam magnanimus pastor fabricare secundus
Iulius instituit pulchras:semiq; reliquit
Perfectas:facinus: preuentus morte proterua
Protinus expediet:tormentaq; dira uirosq;
Ipsa dabit fortes:& classica multa tubasq;:
Qua tu sancte pater fida tunc classe ueheris
Exultans gaudensq; animo:bellumq; sequeris.
Illic conueniet Firmanum robur in armis
Esculeumq; ferox animi uirtute uirisq;
Auximūq; uetus:Recanetum exinaq; pubes
Matheliceq; pius dominus:causisq; decora
Causidicisq; uiris:ueniet:legumq; peritis
Insignis Macerata libens:bellumq; probabit
Iure pium:gaudensq; animo tua signa sequentur
Conueniet Perusina cohors: gelidiq; camerte
Nursiniq; truces:croco niuibusq; superbi
Effera corda uirum:uissumq;:& cassia:bellis

Atq; armis odiisq; simul gentilibus acres:
Atq; alii populi: quos marchia & umbria mittet
Aduenient alacres & lecti signa fouebunt
Armabuntq; tuam pastor sanctissime classem.
At tua te genitrix: opibusq; uirisq; iuuabit
Thuscia magnanimis: & sancta insignia christi
Sponte reget gaudens: Senæq;: & Luca Tuderq;
Inter & anniates: orti: sacrumq; reate
Cornetumq; etiam munitum turribus altis:
Vrbsq; uetus pariter: Spoletum: & Narnia diues
Arbore palladia: cereris patrisq; liei
Munere non humilis: Calidisq; Viterbium & ingens
Nobile sulfureis morbisq; medetibus undis:
Et quæ iam niueum pauit meuania taurum
Equoreum uenerata deum: dominumq; profundi:
Non ingrata quidem: nec non tua patria fulgens
Sigismunde pater uatum: qui Iulia quondam
Pectore non humili solus secreta tenebas:
Argolicũq; etiam tibur: prenesteq; sacrum:
Samnitesq; feri: brutiiq;: umbriq; superbi:
Otriculumq; ferox animis: fortesq; sabini
Qui cum romulidis crudelia bella gerebant:
Ac rutuli insignes: uolsciq; atq; hernica pubes
Vestiniq; alacres: equi uenusina cohorsq;:
Patria: qui lirico cecinit iam carmine uatis
Peligniq; truces: pariter Marsiq; seueri:
Nasonisq; etiam memorata e carmine sulmo:
Laurentumq; potens armis: atq; ardea dira
Apprutiiq; omnes uenient: sitibunda cohors
Appula: nec deerit Calabrum numerosa iuuentus

Hirpiniq; truces: pariter totumq; superbum
Parthenopes regnum: terraq; mariq; sequetur:
At romana Cohors. Sancti fidissima custos
Corporis: atq; tui: circum glomerabitur ultro
Exultans animis quacũq; accesseris: atq;
Excubias faciet circum tentoria magnas
Seruabitq; uices statas: & munia belli:
Quos Vrsina domus felix pariterq; colunna
Vnanimes ducent alacres & signa fouebunt
Mandatisq; tuis parebunt undiq; cuncti.

Caput Quartum

Regibus his: ducibus piis: populis uirisq;
Magnanimis: tu sãcte pater cõfisus & armis:
Conscendes classem properãs: & littora lõga
Pone leges: graiosq; petes portumq; corinthi
Vi capies: gentesq; tuas in littore curuo
Expones: fortiq; loco tua castra locabis:
Firmabisq; Iugum circum tentoria celsum:
Aggere continuo: & fossa: ualloq; superbo:
Innumerasq; etiam turres Castellaq; multa
Materia ingenti facies: Tormentaq; magna
Bellica dispones: Magnum numerumq; uirorum:
Atq; ducem statues fortem qui castra gubernet.
Ac sic dispositis: munitisq; undiq; castris
Induperatori germano trades habenas:
Castrorum: belliq; simul pugnæq; cruentæ.
Ast ille inuictus Cæsar: belliq; peritus
Signa dabit ducibus: statuet fortesq; tribunos:

Signiferoſq; feros: ornabit quiſq; maniplum
Ductor ad arma ſuum: pedites equiteſq; feroces:
Ordinibuſq; datis miles ſua munia prudens
Seruabit patiens: & caſtra tuebitur ultro.
Quæ poſtq̄ audierit turcarum ſingula princeps
Adueniet properans: contra & ſua claſſica ponet
Signaq; barbarico ritu componet: & arma
Diſſimulans capiet: medioſq; iturus in hoſtes
Ipſe prior ſignum pugnæ dabit: atq; cruentam
Incipiet: clamorq; uirum clangorq; tubarũ
Auditus noſtros coget properare maniplos:
Tunc propere inuictus Cæſar ſua ſigna mouebit
Educetq; ſuos reges: Comiteſq; duceſq;
Proq; ſuo ſtatuet uallo: ducibuſq; uocatis:
Regibus atq; piis: diuiſo milite toto
Partitiſq; uiris diſcurret thæſſara campo:
Exultanſq; animo Cæſar fortiſſimus heros
Vndiq; diſcurrens: pugnam ſic ille cruentam
Inſtruet: ordinibus peditumq; equitumq; locatis:
In primaq; acie cuneũ fortemq; phalangem
Et turmas peditum clipeos haſtaſq; gerentes:
In medio cornu ſtatuens: ex ordine ponet:
Inſtituetq; alas celeres hinc inde uagantes:
Quiq; aquilas ſeruent: Et qui poſt ſigna ſequentur
Et qui precedant equites martemq; laceſſent:
Auxiliumq; ferant feſſis: & uulnera paſſos
Accipiant ſeruentq; uiros: Siccentq; cruorem:
Vulneraq; alligent herbas medicaſq; miniſtrent:
Quiq; hoſtem longo protracti limite cingant
Et clamore dato feriant pugnatia terga:

Quicq; inclinanti succurrant forte manipło:
Restituantcq; aciem: & cuneum si forte labascent.
Post hæc gallorum Regi producere dextrum
Hispanocq; duci cornu: paritercq; sinistrum
Iberno atq; anglo regi: fortiq; boemo
Ast ipse in media cæsar se fronte locabit
Quadratam instituens aciem spissamq; phalangem:
In mediacq; acie currus tormentaq; belli
Ordine disponent: ut cum fera classica signum
Cuncta dabunt: acies properans se diuidat omnis
Tormentiscq; uiam faciant: ut ferreus orbis
Per medios cuneos: turmas mediosq; maniplos
Transeat & miserum prosternat protinus hostem:
Ac sic dispositis rebus: sua signa mouebit
Et pugnam incipiet: sternentur corpora multa
Turcigenum: paritercq; uirum paritercq; ferorum
Cornipedum: fietq; ingens cum sanguine strages
Pugnabunt mixti gladiis astisq; tremendis
Virq; uirum leget: mutuabunt spicula & astas:
Et cadet in cassum nullum sine uulnere telum:
Tuncq; dato signo: phalanx se diuidet ultro
Tormentisq; dabit spacium: ruet impia palla
Ferrea: belligerum sternet quæ protinus hostem.
Ac ueluti e summo demissa grandine cœlo
Sternuntur segetes: & dulcia munera bacchi:
Impleturq; solum foliis impletur aristis
Palmitibusq; simul fractis: impletur & uuis
Et pereunt omnes: hominumq; boumq; labores.
Atq; his perspectis: græcorum lecta iuuentus
Innumeriq; alii graio de semine nati

Et campos eraſſimne tuos: acheloiaq; arua
Nemeeq; etiam mittent pecoroſaq; philos
Ac thamiris pena iam notum getibus epi
Illuſtreſq; etiam ſatyro pendente celene
Taigetuſq; ferax: quem non riſere lacones
Arthemenoſq; etiam diues cleoneiq; molorchi
Schænus & ipſa ferox: eigmaq; & auia; dime
Cenchrea non humilis etiam num diraq; lerna
Tellus & acciaca inſignis: cui gloria Athene
Inclita philophis magnis: ducibus ſuperbis:
Magnanimiſq; uiris bello: terraq; mariq;
Innumeros mittet proceres & munera clara.
Megaraq; & cremion dites: pariterq; ſuperbe
Pangeiq; feri: nec non ſchironia ſaxa:
Theſbia fatidica: & rhamnos tua tetrica ſedes
Diua potens quæ ſponte feros nimiumq; ſuperbos
Elatoſq; premis: nec non cerealis eleuſis
Miletumq; auliſq; potens: ubi graia iuuentus
Dardana regna petens: claſſem conſcederat olim
Bauronq; armipotens: oropus: mitiſq; tanagra
Opuntiiq; feri: locri daphuſq; ſeuera:
Mitis helea etiam nec non diteſq; platee
Naritiiq;: alopeq; ſimul ſcarphiaq; dira:
Et nautas nimium terrentia ſaxa maleæ
Fatidiciq; etiam delphi: Larinaq; diues
Cetropiuſq; olim: pirreum nomine: portas
Et thronium pteleumq; ferox animo & micaleſſus
Quiq; bibunt Cephiſi dulces ſperthios & undas
Calliroes: larineſq; etiam: dirceſq; profundæ
Briſſeliq; colunt ſcopulos: himeriq; niuoſos:

Musarumq; domos sacras:heliconis & alti
Culmina:uentiuagas nimium superantia nubes
Thrmopileq; arctas fauces:oetheaq; saxa:
Herculeis quondam maculata cacumina flammis
Insuleq; innumeræ:pelagus quas continet ingens
Ionum egeumq; simul : pheatia prima
Alcinoi pulchris quondam memorabilis ortis
Vnum oratorem mittet:cui maxima uirtus
Ingeniiq; decor:facilisq; potentia lingua
Atq; aurum:& uarias ditissima munera uestes,
Post hanc:& thorone:Marathe:tenuisq; ericusa:
Malthace trachie truces: & nauis Vlixis:
Arnoxe:taphieq; simul:primessaq; parua:
Echimadesq; etiam dites: Cotonisq; |superba:
Egiale:& melena & multum nebulosa zacinchus
Dulichiumq; ithaceq; simul:quæ prouidus olim
Regna laertiades tenuit facundus Vlixes:
Euboia & chalcis pariter:cirnusq; niuosa
Pinnaraq; & gearis:dionisiaq; & thiatira
Queq; uaga ionias agitata e fluctibus omnes
Egeasq; etiam lustrauerat asteris oras:
Fatidici quondam phebi Casteq; diane
Vt perhibent:natale solum uenerabile: uates:
Ac geminæ strophades:protheq;:& sacra cythera:
Bissenos mittent proceres:simul & pithiussa:
Quãq; ferunt ueteres:Centum tenuisse superbas
Creta Iouis magni:populisq; & mœnibus urbes
Insula magna potens:quondam minioa regna:
Passiphaes ubi dira lues:proh numina proles:
Cetropios olim innumeros laniauit ephebos

Magnanimi egidis fatalis uictima taurus:
Cuius adusq; modo testis labirethus habetur:
Quam ferus alcides: fame si credere fas est:
Vrsis: atq; lupis: uirusq; geretibus olim
Anguibus: ut perhibent nocuis purgauerat omnem
Victor & in nocuam & tutam nunc usq; reliquit
Irrine: pironisq; ferax: pinguisq; heleussa
Fatidiciq; etiam quondam domus inclita prothei
Carpathos: ægeis nomen quæ tradidit undis:
Insignesq; etiam salamin: Coos: atq; phocussa:
Andros: & olearos: pariterq; & parua seriphus:
Marmoribusq; ferax Naxos: paros: atq; caristos:
Quæq; dedit pelago memorabilis Icara nomen:
Idrussa: & psitale: scirosq; & glauco nessus:
Meonidisq; pii tumulo clarissima anaxo:
Zephire: & giaros: pariter suauisq; agathussa:
Nobilis ungento: & uentis agitata schinussa:
Petalieq; etiam gemine bis: claraq; Thassos
Et calimna ferax: heleneq;: & nobilis imbros:
Farmacusa etiam medicis memorabilis herbis:
Et sciathos: crebraq; micans lamponia flamma:
Aetherea: & glauce: boggilliaq; & samothrace:
Ac lesbos natale solum tibi: mascula sappho
Infelix: quæ iam phaonis correpta furore
Leucadium proprio maculasti sanguine saxum:
Femineaq; etiam rabie notissima lemnos:
Cuius adusq; forum fertur Iacularie umbrā
Altus athos: Cancri cum sol penetrauerit ora.
Ac rodos insignis phæbi radiante colosso:
Spumigeneq; etiam ueneri gratissima cypros

Aruisiiq; chios uini gratissima nutrix
Atq; aliæ innumere: quarum si nomina uersu
Scribere cuncta uelim calamusq; & dextra fatiscet
Mittet & ipsa tibi legatos Thesala tempe
Et larissa potens armis: ac phthia superbi
Aeacidis natale solum: Cranonq; cruentum
Primores procerum: quibus est pudentia maior
Innumera & pariter multum pretiosaq; dona.
Pteleumq; nemus magnum: Thaumãtiaq; ingens
Illetia: & phere: Castanaq; & inuidus atrax:
Infelixq; elmon: Gomphi: pagaseaq; rura
Methoneq; ferox: Acarna: æantiaq; atrox
Quiq; colunt hemi scopulos: & culmina pindi
Vnde ferunt uatem: pedibus manibusq; sequutas
Threicium quondam plaudentibus orphea syluas
Parnassiq; iugum geminum Cyrreaq; saxa
Pieriumq; nemus sacrum: Nimpheiaq; arua
Ac nubes celso superantem uertice olimpum
Atq; ossam peliumq; truces othrimq; niuosum
Quis super impositis bellum indixisse gigantas
Terrigenas superis: cœloq; expellere diuos
Affectasse omnes: ueteres scripsere poete
Quiq; serunt agros pingues nimiumq; feraces
Thessalonica tuos etiam: Camposq; cruẽtos
Aemathios: quondam ciuili sanguine mersos
Romuleo: & latii qui iam uidere ruinam
At tumulis regum macedum memorabilis æge
Atq; oloros: & Thinna ferox tirrissaq; dira
Peoniiq; etiam medicis gens inclita succis
Scotussiiq; feri: longis quoq; migdones armis

Quos iam turca ferox pueros & ab ubere raptos
Effecit seruos: Christumq; negare coegit
Ac tenet inuitos: audito nomine Christi:
Vexilloq; dei uiso: properantius omnes
Conuertent animos alacres: fideiq; parentum
Iam memores: sua corda dabunt & pectora Christo:
Atq; arma in turcas uertent: errore relicto:
Christicolisq; piis ultro se ad prælia iungent:
Infidosq; præment hostes: & signa sequentur
Sancta dei: & monitis parebunt ordine cuncti
Sponte tuis: dominumq; suum patremq; uocabunt:
Innumerosq; hostes capient: ipsumq; Tyrãnum:
Ante pedes statuentq; tuos: & iussa capessent
Atq; hoc confecto bello: tua castra mouebis
Ethiopasq; petes: mauros: arabasq; perustos.
Sed prius exultãs animis pia græcia supplex
Non ingrata suos proceres & munera mittet
Læta tibi: monitusq; tuos: & iussa sequetur.
Prima salutatum mittet bizantia tellus
Centum oratores proceres: & munera magna
Teq; pium patrem gaudens: dominumq; potentem
Pastorem quoq; liberatoremq; uocabit
Læta suum: statuetq; etiam solemnia festa
Annua graiugenis: ac niceteria sacra
Et struet insignem: ephireo in colle tropheum
Turcigenum pugnam testãtia saxa fugamq;
Excidiumq; ingens populi gẽtisq; profanæ:
Barbaricæ: nomenq; dei dominiq; Leonis
Pontificis summi decimi: super omnia scribet:
Litterulis latiis maioribus atq; pelasgis:

Imperiiq; sui & regni diadema uetusti
Totius & generis græcorum traddet habenas.
Post hanc magnanime quondam ditesq; micene:
Thebanæq; patræ: Thebeq; helisq; superba:
Argiuiq; olim clari: fortesq; pelasgi
Et pise immites: Calidon: Sicionq; uetusta:
Oebaliiq; feri: Danai rapidiq; pherei
Archades & ueteres lunaq; & sole priores:
Arboribus geniti: Nec non thesea troezen.
Egion atq; etiam fortis generosa pilosq;
Et mea gentilis domitrix epidaurus equorum:
Olenosq; Iouis nutrix: bimarisq; corinthus
Inoas quondam lachrymis solata querelas:
Planaq; messenes rura: & meleagria pleuron:
Amphigenia potens armis: Tenariq; lacones
Euchiusq; azan pariter: nec inuida sacris:
Et niuibus lampia rigens: uẽtosaq; enispe
Aligeriq; dei genitrix tegeeia tellus:
Innachiiq; feri: cautisq; nonatria furtis
Grata Ioui: uolucrumq; pharis dulcissima quondam
Sponte parens messe: recolens cythereia sacra
Partheniumq; nemus phebo musisq; dicatum:
Et quæ spartanum Thire legit atra cruorem
Ac rapido neris metuens spumante charadro:
Quiq; colunt drepani scopulos: & saxa philenes
Atq; undas stigii diras uenerãtur elisos:
Inathiasq; serunt ripas linceaq; rura
Optatiq; tibi soceri ladonis apollo
Pithie: trinacriis non inuida littora campis
Clitonisq; serunt & oliuiferiq; euroie

Flegraq; non humilis:uiolenta morte gigantum
Quos pater omnipotens flagranti fulmine cũctos
Ad stigias latebras:atq; horrida tartara adegit:
Fordeaq;:hermioneq; simul diceaq; magna
Othrineiq; etiam uenient:seui & pelagones
Ampelos atq; potens: paleneq; & potidea:
Quiq; colunt celsam rodopen scopiumq; niuosum
Pellaq; magnanimi genitrix dulcissima pirri
Et phissella potens armis atq; auia sidra
Ac monacis dicatus athos:Celsusq; orobellus:
Ipsizorusq; altus candenti uertice semper
Alipedumq; etiam genitrix epirus equarum
Quas prostare ferunt euro:& concipere: uates
Ac parere insignes prestanti corpore natos:
Cornipedes cursu rapidos similesq; parenti

Caput Quintum:

INterea excellens dum tu sanctissime pastor
Græcorum proceres audis:recipisq; fouesq;
Muneraq; in sotios:reges dominosq; ducesq;
Diuidis unanimes cunctos:Comitesq; uiros:
Instituisq; duces proceres sanctumq; senatum:
Ac leges condis sanctas & publica Iura
Componisq; omnes:pacemq;:& federa firmas
Imperiiq; ingens grai diadema uetustum
Magnifico fratri letus concedis habendum
Sponte tuo:dominumq; pium iustumq; monarcham
Constituis:fideiq; sue regna omnia credis:
Quæcũq; Ioniũ pelagus circũfluit ingens:

Aegeumq; simul rapidum:pontusq; euxinus:
Quæ modo sub turcæ fuerant dicione maligni.
Pannonie rex arma ciet populosq; feroces
Aduocat:& regem ciuilia bella mouentem
Agressus uincet uinctumq; hinc inde fugabit
Paccatisq; prius populis uictoria parta:
Firmatisq; animis:etiam nũ:& pace perenni
Obsidibus uadibusq; datis hinc inde sequuta:
Victor ad arma ruet:properans:gentesq; superbas
Ac proceres populosq; pios dominosq; uocabit:
Magnanimosq; duces:& belli insignia pandet:
Conuenientq; omnes alacres:& signa sequentur
Regia:magnanimi pedites:equites superbi:
Prima suas aquilas comitabitur inclita buda.
Insignesq; uiros mittet belloq; probatos:
Post hanc:& breuci fortes mazeiq; feroces
Andrizeiq; truces:Sardeiq;:& monafisci
Ditionesq; feri populi:pariterq; pirusci
Iasii:Colapiq; simul:fortesq; ariuates
Cornacatesq; alacres:belgitæq;:& serapilli:
Carchariiq; leues:Sandrizete:& latouisci:
Taurisciq; feri:Scordisciq; atq; amatini:
Vartiani:& iuncti firmẽsibus hercuniatæ
Osseriiq; etiam uarii celeresq; erauisci:
Quiq; colunt saui ripas:Drauiq; beatas:
Et quos metubaris:segesticaq; insula gignit
Conuenient alacres cuncti bellumq; sequentur.
Accitusq; etiam frater Rex inclitus armis
Pollonie ueniens:fratri sua classica iunget:
Innumeros ducens populos:equites:peditesq;:

Vnanimesq; ambo reges sua castra mouebunt
Danubiumq; petent alacres: & ponte peracto
Lintribus adiunctis: fluuium transibit uterq;:
Reliquiasq; tuas pastor sanctissime cedent
Atq; alios capient: alios per rura fugabunt:
Victoresq; ambo: uenient ad signa triformis
Sancta dei monitisq; tuis parebit uterq;
Sponte piis: dominumq; ambo patremq; uocabunt:
Pontificemq; pium Christi: sine fine beatum.
Ast alia ex parte: gelidis regnator in oris
Exurget properans princeps dominusq; ruthenus.
Nobilis atq; potens Materno e sanguine graius
Atq; arma accipiet proceresq; ad castra uocabit
Magnanimos fortesq; duces populosq; feroces
Moschouia insignis gaudẽs dabit ordine prima
Innumeros equites celeres peditesq; proteruos
Assuetos armis Iuuenes: Castrisq; peritos
Post hanc exuberans populo atq; ingens nouogradum
Torsiaq; imitis animo pariterq; carilla
Solonouũq; ferox: Valladimer atq; rasagna
Et cassagna potens opibus: necnon periarcha
Atq; aliel ualdumq; simul: Lopũ: & rugadiua
Conuenient: Multeq; alie ditione subacte
Moschouie unanimes: & regis signa sequẽtur
Atq; arma expedient omnes: & castra mouebit
Sauromatasq; petet plaustris qui degere uitam
Assueti: Instabiles per singula rura uagantur
Massagetasq; auidos satiari sanguine equino
Essedonasq; edonasq; feros: Camacasq; camasq;
Euchatas: Saccasq; truces: pialasq; superbos

Sarcophagasq; scithas rabidos: seuosq; arimaspas:
Et quos arboreas perfusas pectere lanas:
Fertur aqua feras: pariter carabasq; getasq;:
Pascentesq; pecus nomadas: rapidosq; napeos:
Atq; omnes alias gentes populosq; feroces:
Quos arctoa parit tellus: montesq; riphei
Imbribus assiduis madidos: glatieq; rigentes:
Quorum perpetua pulsantur grandine tecta:
Opprimiturq; dies: & solem nubila condunt:
Nec non & populos Tanaimq; histrumq; colentes:
Et phassim: & colchos: & in hospita litora ponti:
Meotidemq; etiam gentes sine lege paludem:
Torrentemq; bibunt erucem: rapidumq; choraxem:
Billeiq; colunt ripas & sangaris alti
Atq; aconum portum: nimium crudelia regna:
Vnde ferunt naute seuis aconita nouercis,
Caucaseasq; etiam fauces: & caspia saxa
Eniochosq; feros: pixidasq; & Trapezuntam:
Cizimenosq; truces: Cottas: gelidosq; Coatras:
Euazasq; uagos: ac Cõnubialia Iura
Iungere amazonibus: prolemq; assumere suetos
Gratamenas: Cizoasq; feros: ac messeniatas:
Sussegetasq; etiam: Dãdarosq; atq; imaduchos:
Spondolicos: oranosq; alacres: Seuosq; amazachas:
Sinthietasq; probos: Amassosq; & catacetos:
Iratabasq; etiam uarios fortesq; Agoleos
Auchatas: Ramnosq; simul celeresq; sacarnas
Carnapasq; feros: etiam nũ: & aparthena regna:
Ac phicaros anclasq; truces: Sæuosq; ophaticas:
Immanesq; alios populos: gentesq; feroces

Conuincet bello: Seq; & sua tradere coget
Primoresq; omnes populi: regesq; ducesq;
Ad te deuictos secum pater optime ducet
Auspiciisq; tuis bellum gessisse probabit:
Captiuosq; tibi cunctos ante omnia tradet:
Obsidibusq; datis sanctum baptisma fidemq;
Accipient alacres ueram dominumq; sequentur:
Christicoleq; etiam fient ueteremq; relinquent
Machmetis sectam miseram moresq; profanos:
His tribus adiunctis ad classica regibus altis
Et populis tibi sancte pater: tua corda mouebis
Augebisq; animos: ad reliqua bella gerenda
Consiliumq; ingens facies: patresq; uocabis
Ordine Cardineo: quibus est prudentia maior
Et doctrina ingens: ac rerum maximus usus:
Post hos maguanimos reges: dominosq; potentes.
Insignesq; duces: etiam: Comitesq; fideles:
Ac proceres: qui sancta dei uexilla sequentur:
Accitiq; omnes uenient: atq; acrocorinthum
Ingentemq; aulam ueteris: de more: palati
Complebunt alacres cuncti: lectiq; sedebunt:
Ordine quisq; suo: taciti: penitusq; silentes.
Tunc tu sancte pater: solio sublimis ab alto
Consilii causam cunctis hac uoce recludes:
Audite o fratres: fidissima corda uerendi
Quos pater omnipotens ad munia sacra uocauit
Cardineâq; dedit sedem: populosq; fideles
Christicolas seruare pios: & templa tueri
Iussit: & imperii fines proferre per orbem
Aeternæ fidei nostræ: solidamq; tenere:

Ac uos magnanimi reges:dominiq; potentes:
Insignesq; duces:proceres Comitesq; uiriq;:
Qui uexilla dei summi:nomenq; sequuti:
Liquistis patrias:populosq; urbesq; locosq;:
Vxoresq; pias:fratres:propriosq; parentes
Ac dulces natos:& pignora cara nepotes.
Venimus en domino:Sanctisq; fauentibus ipsis
Incolumes cuncti pariter classisq; uiriq;.
Vicimus en rabidos turcas:populos feroces
Fudimus:& uictos fusosq; fugauimus omnes.
Innumerosq; duces:proceres:ipsumq; Tyrãnum
Cœpimus:& sotii captos:In uincula seruant:
Nullus in hac patria Turcarum e stirpe remansit,
Venerunt proceres:Græcorum exordine cuncti:
Atq; urbes populosq; suos:& cuncta dederunt
Oppidaq;:& uillas:Camposq;:& dona tulerunt
Argentum atq; aurum:gẽmas præciosaq; uasa
Ac uestes tenues pulchras:magnos tapetas:
Quæ nos insotios læti diuisimus omnes:
Venerunt gemini fratres:regesq; potentes
Polloniusq;:Vnnusq; simul:duo fulmina belli:
Atq; etiam nuper princeps dominusq; ruthenus
Venit abarctois uictor fortissimus oris
Innumerosq; duces:reges dominosq; superbos
Captiuos properans:ad nos sine fraude reduxit
Quid facimus Cæsar:reges:proceresq; ducesq;:
Dicite quisq; suæ:quæ sit sententia mentis:
Consulite in medium:si uos ad uestra reuerti
Regna placet cunctis:patriasq; reuisere caras
An populos Asiæ molles:potiusq; superbos

Deliciisq; feros: q̄ bello armisq; potentes
Inuadimus: Capimusq; omnes: sanctumq; sepulchrum
Eripimus manibus maurorum regis iniqui
Dicite ne pigeat: quæcūq; probabitis ipsi
Nos quoq; rata fore: & meliora putabimus omnes:
Consiliumq; pium quod uos censebitis esse
Accipimus lætis animis: & sponte sequemur
Hæc ubi censueris: residens: atq; inde quiesces:
Magnanimus surgens Cæsar: fortissimus heros
Facundo incipiet gaudens sic ore profari
Audiui tua sancte pater sublimia dicta
Percepiq; animo lætus quæ scire cupiscis:
Et prius ingentes habeoq;: & debeo grates
Perpetuoq; animam uiresq; exponere cunctas
Pro te non dubitem modo sit mihi copia facti:
Non ego sancte pater: redeundum protinus esse
Censuerim nec ferre queam: post terga relictis
Hostibus innumeris: Asiæ quot continet orbis
Aphricaq; imitis: nimium: nimiumq; perusta.
Linquere graiugenas: & nostra ad regna reuerti.
Nam postq̄ audierint: æphireo e littore classes
Iam soluisse tuas: & uentis uela dedisse:
Conuenient omnes turce: qui in turbine belli
Euasere manus nostras: & terga dedere
Auxiliumq; petent aliis: qui nomen adorant
Machmetis miseri: uenientq; ad littora graium:
Eicientq; tuum pastor sanctissime fratrem:
Imperiumq; suum rapient ipsumq; fugabunt:
Ridebuntq; omnes mauri conamina nostra:
Atq; erit hoc nobis damnumq;: & dedecus ingens.

Quare ego non dubito: melius fore bella sequenda
Quã rediisse domum: bello sotiisq; relictis.
Ite igitur sotii mecum bellumq; sequamur
Ipse ego primus ero uel dux uel miles in armis.
Post hunc exurgens gallorum maximus ille
Rex populi: uirtute ferox opibusq; superbus
Attollensq; oculos in te sanctissime pastor
Inq; alios proceres: dominos: regesq;: ducesq;:
Et placido ut sueuit lætus sic ore loquetur:
Antistes christi: uosq;: o: fidissima reges
Pectora: magnanimi: fortes nimiumq; potentes:
Insignesq; duces: proceres: Christiq; fideles:
Qui circũ hanc aulam leti tacitiq; sedetis:
Non ego consilium reprobo: mentemq; fidelem
Cæsaris inuicti fateor: nec bella recuso:
Sed potius faueo lætus: laudoq; proboq;:
Et properare puto melius q̃ perdere temups
Ac terere in cassum: quoniã fortuna proterua
Fronte capilata cunctis se gentibus offert
Exoptatq; capi semper: gaudetq; teneri:
Verum ubi transierit fugiens uelocior aura
Nil gerit in spatulis: quo possit dira præhendi
Ite precor cuncti: Quis enim transire negabit:
Exiguum ue fretũ ductor superare timebit:
Namq; ubi transieris: Camposq; attigeris armis
Dardanios: Asiamq; petes: bellumq; mouebis:
Imbellesq; uiros properare ad classica coges:
Non poterunt molles populi nostra arma tubasq;
Ferre diu: nec bella petent sed protinus omnes
Aut fugient aut se nobis suaq; omnia tradent:

Hoc paruum ſpacium: quod uos ſecludit ab hoſte
Audaces illos nimium nimiumq; ſuperbos
Eſſe facit: retinetq; uiros in pace fugaces:
Sic fatus reſidet ſolio lætuſq; tacebit.
Tertius hiſpanie ductor conſaluus & ipſe
Exurgens animumq; ſuum mentemq; fidelem
Conſiliumq; pium pariter ſine fraude recludet:
Quidq; uelit fieri: gaudens his uocibus addet.
Sancte pater: Chriſti merito ſedemq; locumq;
In terris: qui Iure tenes: animaſq; fideles
Chriſticolum in cœlos: aliaſq; ad tartara mittis
Vos quoq; Cardinei patres: uenerabilis ordo:
In quibus eſt fidei requies ſpeſq; unica noſtræ:
Et uos magnanimi reges: dominiq; potentes
Qui uexilla dei ſummi: dominumq; Leonem
Pontificem Chriſti decimum ſuaq; arma ſequuti:
Viciſtis rabidos turcas: uictoſq; fugaſtis:
Imperiumq; ingens græcorum ſponte uetuſtum
Pontificis ſummi merito tribuiſtis habendum
Magnifico frati: & Thracas pontumq; dediſtis
Ac nunc conſulitis quid ſit ratione gerendum:
Si placet ad patrias noſtras: & regna reuerti
Non dum perfecto bello: graiiſq; relictis
Vel tranſire fretum: bellumq; inferre ſuperbis
Tot populis Aſiæ gazis opibuſq; refertis
Delitiiſq; magis q̄ bello armiſq; decoris:
Parcite ſiquis habet menti contraria noſtræ
Conſilia: o: proceres: & qui nunc Cæſaris alti
Francorumq; etiam regis: pia dicta refellit
Quod minus ipſe reor domini: nec credere poſſum:

Quæ nos accipimus fateor lætiq; probamus:
Optamusq; sequi: ac bellum properare uelimus:
Et queror ac doleo: q; iam tam tempore longo
Distulimus bellum: ephireaq; littora cuncti
Seruamus resides: nec nos: nec classis in hostem
Missa prius nunc bella gerit: Sed littore marcet:
Nam differre nocet cunctis: Sed regibus ipsis
Ac ducibus dominisq; magis: qui regna gubernant
Et populos urbesq; regunt ac Iura ministrant
Presertim cum bella gerunt martemq; sequuntur:
Aut populos: propriasq; urbes: finesq; tuentur:
Finitimosue suos: propriis e finibus arcent:
Atq; hostis pauidi fugientia terga sequuntur:
Nam modo: quod licuit: forsan cras hora negabit:
Ille ferox Iuuenis: proles generosa philippi
Rex macedum: fortisq;: potens: atq; impiger olim
Dicere consueuit: sese tot regna tot urbes
Expugnasse truces: quia non differre solebat.
En rex ipse meus: classem conscendit: & oras
Infelix cartago tuas: Sidonia regna:
Nunc tenet: & libicos: campos populatur & agros:
Getulosq; petit: maurosq; arabasq; perustos
Atq; omnes uincet: seq; & sua tradere coget
At nos: heu facinus resides: lentiq; sedemus
Atq; hostes patimur tutos per rura uagantes
Insultare truces: & nostras spernere uires:
Soluite corda metu domini: iam tempus & hora
Postulat: en bellum cuncti properare requirunt
Et pedites: equitesq; omnes: populiq; uiriq;:
Ite Citi capite arma uiri: tuq; optime cæsar

Pande tuas aquilas: & Christi insignia sancta.
Tolle moras residesq; animos ad castra uocato
Militis inuicti: atq; alii nos signa sequemur.
Hæc ubi dicta dabit circum & sua lumina uoluet
Ductor aragonius: cuncti simul ore fremebunt
Magnanimi reges: proceres: dominiq;: ducesq;
Promittentq; sequi totum uexilla per orbem
Sancta dei summi: uitāq; exponere morti:
Erectiq; omnes bellum sine fine uocabunt.
Tunc tu sancte pater: lætus pia dicta probabis
Cæsaris intrepidi: pariter regisq; ducisq;
Consiliumq; ingens solues: cunctisq; iubebis
Vt sua quisq; paret miles properantius arma.
Postera lux aderit: tunc cæsar castra mouebit:
Præmittetq; leues equites: peditesq; sequentur:
In medioq; aquilas: & Christi signa locabit
Post hoc & belli tormenta: & machina multa
Innumeriq; etiam currus celeresq; camelli
Quiq; ferent onera ingentes ex ordine mulli
Turrigeriq; etiam uenient magniq; elephantes
Exultansq; animo bizantia rura uidebis
Ingentesq; simul campos & mœnia celsa
Quæ tot iam fuerant claris decorata tropheis
Illuc cum ueneris pastor sanctissime: lætus
Intrabis portas ueteres: pariterq; triumphans
Accedes totam populo plaudente per urbem:
Magnificumq; tuum gaudens in sede locabis
Quam sibi iam dederas fratrem: dominumq; uocabis
Totius & generis græcorum trades habenas
Instituesq; etiam sacraq; in sede repones

Pontificem magnum dominum quem nos patriarcham
Dicimus ut præsit sacris clerũq; gubernet
Christicolumq; animas curet: disiectaq; templa
Instauret muris: uiolataq; cætera purget.
Interea insignis Cæsar fabricare iubebit
Ingentem trabibus pontem: mittetq; ministros
Qui faciant tabulas grandes: cuneosq; trabesq;.
Procũbent quercus: rapientur robora syluis
Cædentur platani: ruet icta securibus ilex:
Et cadet innumeris percussa bipœnibus ornus:
Atq; ulmus sterilis: foliis uiduabitur alta
Populus: atq; abies: nimiumq; inuisa cupressus:
Exurget syluis gemitus ululatus & ingens:
Lugebunt pariter nymphæ driadesq; puellæ:
Hæc queret matrem: pulchram petet illa sororem
Ast alia exquiret natam: dulcemq; nepotem:
Arboribus cæsis: Nymphæ (si credere fas est)
Quæ simul exorte fuerant: simul atq; perhibunt:
Verum ubi collectis pontem fabricare magistri
Incipient magnum trabibus: mirabile uisu:
Europamq; Asiæ iũgent cursumq; parabunt,
Fama per innumeros: uolitans uelocior aura
Imbelles Asiæ populos: rumoribus omnes
Implebit uariis: ueris mendatia iungens:
Aduenisse duces: Christi qui nomen adorant:
Pontificemq; dei summum: regesq; potentes
Innumeros: pontemq; simul bellumq; parari.
Tunc trepidare omnes populi proceresq; ducesq;
Incipient Asiæ: domini regesq; superbi:
Degeneresq; animos timor arguet: atq; per urbes

Discurrent cuncti proceres: Iuuenesq; senesq;
Consiliumq; patrum ueterum sibi quisq; uocabit.
Conuenientq; omnes ad magna palatia mesti:
Et consulta ferent: pacemq; an bella probarint
Exquirent satrape a populis patribusq; uerendis.
Sed postq̃ audierint nostras iam ponte peracto
Pertransisse omnes gentes & castra locasse:
In campis frigiis gelidi simoentis ad undas
Præmissiq; leues equites per rura uagantes
Indicium belli facient: prædasq; reducent:
Tunc magis atq; magis trepidi nimiumq; pauentes:
Vnanimes pacem potius q̃ bella probabunt:
Legatosq; tibi proceres: & munera mittent:
Qui pacem faciant humiles: & federa iungant.
Tunc tu sancte pater lætus: tua castra mouebis
Ordinibusq; datis: equites ante ire iubebis:
Sanctaq; signa sequi: pedites hinc inde locabis
Ac mulli & currus cuncti: tormentaq; belli
Et lixe innumeri: uarii post terga sequentur.
Procedensq; uiam: quacũq; accesseris omnes
Ad te conuenient alacres sanctissime pastor:
Insignes populi proceres regesq; ducesq;
Seq; tibi fideiq; tuæ: suaq; omnia tradent:
Militibusq; tuis uictumq; & dona parabunt:
Atq; iter expedient: placidum tutumq; relinquent.
Prima Troas ueniet: quõdam ditissima regna:
Antigoni natale solum: sigeaq; tellus:
Dardaniiq; omnes pariterq; atq; Ilion ingens:
Lissimachiq; uetus regnum: phoceaq; magna:
Et Citanis tenmosq; ferox pitamæq; superbæ

Attalicíq; ſimul: Miſiq;: & gargara celſa
Quiq; bibunt xanchi gelidas: Simoentis & undas
Scamādriq; ſerunt ripas rapidiq; granici:
Et litii imites etiam: fortiſq; aricāda:
Vulcaniiſq; ſimul flagrans epheſtia flāmis
Et milia: tharcū ſoboles: Semenaq; dira
Pamphiliiq; omnes opibuſq; uiriſq; beatí:
Icomūq; ferox nimium celeberrima regna:
Quiq; colunt glebas pingues: Mele & calícadní:
Arſinoem: & Coricos: Doriū: fortemq; miādam:
Atq; etiam imitis: mallos pariterq; magirſos
Zephiriūq; ſimul uenient: Thinos atq; ſacilla:
Nympheūq; ferox: Soloe: mopſiq; feroces:
Pedaliæ & ueteres: Caſſiponis atq; anemura:
Eximia & Tharſos felix opibuſq; uiriſq;:
Quiq; tenent Cylicū portas: alleaq; rura:
Et ſteriles ſeruant ſcopulos ſarpedonis altí:
Atq; ſarū: Cygnūq; bibunt: piramūq; chlorūq;:
Andracūq; etiam celerem: pinarūq;: licumq;:
Vrbſq; uetus ueniet ſolis: ditiſſima tellus:
Chriſſippi natale ſolum: Cebreniaq; ingens:
Antādroſq; ferox: Cymeri: fortiſq; carenæ
Sarnacaq;: & licide: Tymbre: rapidiq; aliſerni:
Partheniūq; potens: oxiopa: & aſpera tellus:
Ligdanus: ut perhibent: nec non & pergama quōdam
Clara diu geminis Cecio: pariterq; ſileno
Amnibus irriguis: quocūq; tempore campis:
Gordiaq; excellens: Gallatiaq; atq; nicea
Pamphagoneſq; omnes etiam: trepiduſq; briazon:
Nazariūq; ingens: & marmore Cizicus albo

Nobilis: ut perhibent ueteres: quondã: & proceraftis:
Phenicesq; pii uenient celeberrima regna
Innumeris sydon nautisq;: & murice clara
Atq; tyrus fecunda uiris: quæ condit urbes
Innumeras: reges: populos: gentesq; feroces
Vicerat: & totum ratibus lustrauerat orbem.
Ac sarepta ferox: animis: atq; ornithon atrox
Et raphane insignis: nec non: & gaddara celsa
Charmelliq; iugum uarium: nisamq; colentes:
Ecdippamq; trucem: & leucõ: quod dicimus acron:
Atq; accem ueterem fortem: pagidãq; proteruam
Immensamq; etiam gabalem: Magnam & philadelphũ:
Possidiam: charadrũq; truces: urbemq; leonũ.
Adueniet pariter supplex tibi Iulia felix:
Et tripolis: Carnæq; simul: platos: & balonea
Vrbsq; Iouis: Marathos: biblos: Tenuisq; zimirra.
Esseniiq; pii: ueneris qui munera uitant
Argentum atq; aurum spernunt: fugiuntq; nocentes
Aeterni ut perhibent: Iusti semperq; beati:
Ac galate: & syri: croco cilicesq; superbi:
Et celeres granii: cerestica q; & magogibbi
Prodigiosa nimis gens: & crudelis & atrox
Pieriãq; etiam magnam: libanũq; colentes:
Cuius ab excelso: magnoq; cacumine montis
Noctes atq; dies: cum sol se emergit ab undis
Cumq; subit pariter terras hinc inde uidentur.
Angariũq; altum: nec non: & nobile saxum
Inquo uinclorum cœpheidos aspera signa
Credere si dignum est: etiam nunc usq; uidentur.
Assiriiq; omnes: babilon: Cele: & Comagene:

Antiochiq; etiam clarum:& memorabile regnum:
Atq; aliæ insignes miroq; exordine site
Inter & euphratē: & tigrim gentibus urbes
Innumeris uenient:munite:& signa sequētur
Atq; arabes gemini:& redolentes thure sabei
Egyptiiq; etiam ueteres nimiumq; proterui
Qui se non alios:generatos semper in orbe
Contendunt primos:nec credunt cedere posse.
Quorum prima quidem mittens egyptia Thebe
Nobilis:Innumeris portis opibusq; beata:
Atq; ingens etiam memphis:ditissima tellus:
Et merito insignisq; uario fecunda metallo
Insula magna potens:hebenoq; & marmore clara
Quæ bis iam medium cum sol peruenit ad Axem
Percurrens taurum toruum:fuluumq; Leonem
Estiferum:ut perhibent umbram non inuenit ullam
Macrobii populi:ditesq;:& femina quorum
Maiorem infanti fertur gestare mamillam
Nec non arsinoe:Beroeq;:& magna damascus
Atq; issos:macedum:generata e stirpe potentum:
Insignesq; lacu miride simul & labirintho
Ingenti nullo constructo exordine ligno.
Palmira diuitiis etiam populisq; decora
Amnibus irriguis campis:situq; beata

Caput Sextum



Arthorūq; caput felix hecatōpilos illa
Adueniēs supplex:lugebit funera crassi
Et pacem ueniāq; petet dominumq; uocabit

Te sine fine suum:Monitusq; & iussa facesset.
Nec non Calliope:manie:ragis:& miriandron
Issaris atq; potens:Arsaceq;:atq; piropum:
Et nisea ferox:derbice & apania diues:
Ecbatana & celebris medorũ regia quondam
At nunc parthorum subiecta potentibus armis
Aduen iet properans ilaris:dominosq; priores
A te sancte pater supplex humilisq; requiret
Quod tu concedes parthis cedentibus ipsis:
Conuentusq; omnes:alii quos parthia gignit
Vnanimes ueniunt:& tecum federa iungent.
Persepolisq; etiam persarum maxima quondam
Vrbs caput:& manibus macedũ iam diruta diris
Instaurata tamen:ueniet iussisq; subibit.
Et mãda:& sarace:Seleuciaq;:atq; sophina
Artemita:& celebris:curneq;:& laodicea:
Vcca ferox:& uarna potens ac dira sabina:
Azagaq; immitis nimium: & fortis cilesina:
Quiq; colunt portas:medorum:& caspia saxa
Appameãq; trucem:frugibusq; opibusq; beatam.
Post hos innumeris gazis ditissima semper
Persia conueniet:Cuius metropolis olim
Sussa fuere diu:murisq; & nomine clara
Vrbs antiqua potens:cum perse cuncta tenebant
Regna Asiæ:& populos omnes ditione regebant
Torrida iam medio cum sol percurrit in axe
Attamẽ & nimium:diuesq;:& fertilis agris
Agricolis perhibent:quos fidis centupla ferre
Semina:nec fraudant uigiles in arte colonos:
Hæc tibi sancte pater:legatos prima disertos

H

Persarum mittet gaudens:& iussa sequetur
Atq; axina ferox:paritercq; diospolis ingens:
Marrasiumcq; simul:paciscorus:atq; elimeum:
Subsidiũq; etiam: Gabbisq;:& barbita diues:
Nec nõ Cappadoce celebres:rapidiq; coprate:
Cordaceiq; truces animis:uxiiq; superbi:
Passagrade indomiti:mariiq; ad bella periti.
Dites achemenide uenient:simul:& sapientes
Assueti cœlo magi deducere lunam
Atq; animas hominum stigiis alicere ab undis.
Quosq; lauat cyrus rapidus:ueloxq; cohaspis
Eumeusq; celer:medus:gelidusq; oroates:
Tygris & ambiguus : Copratesq; & pasitigris.
Persarumq; alii proceres:gentesq; feroces:
Ac uarii domini:diuerso nomine dicti
Insignes populis:opibusq; uirisq; decori
Aduenient nutusq; tuos: & Iussa tremiscent.
Nec non indarũ reges:dominiq; potentes
Et satrapæ insignes:auro gẽmisq; decori
Argentoq; simul:multis aliisq; metallis:
Quasq; gerunt conche sub gurgite margaritis
Quorum corda Thomas sanctus conuerterat olim
Christicolasq; pios monitis effecerat:omnes
Aduenient alacres:& munera magna ferẽtes:
Gandaride primi satrapæ:proceresq; galigni
Quosq; etiam genuit felix modogallia Reges
Insula diues opum belloq; armisq; superba:
Post hos:& Modube Callisseq;: atq; molindi:
Et præti eximii:Saluriq;:alabiq;: feroces:
Et Colubæ uarii: Sassullæq; ac modroessi:

Andariiq; truces:orcusliq;:atq; taluctæ:
Et dardi:Setæq;:simul: ditissima turba
Argento:atq; auro fuluo:frugibusq; uirisq;:
Vrbsq; etiam illustris prassorum regia felix
Adueniet properans ad te palibothrus & aurum
Argentumq; feret:gẽmasq;:& germina ponti
Concharũq; tibi:nimium clarissima dona.
Mæthoræq; truces:Suari:rapidiq; monedæ:
Apprassiiq; omnes:In quorum montibus altis
Pigmeos habitare ferunt:qui tempore in omni
Cum gruibus fera bella gerunt uitamq; tuentur:
Perrimuleq; etiam quondam celeberrima regna
Argentoq; auroq; simul:gẽmisq; referta:
Nec non montane gentes deserta colentes
Syluestresq; locos:uenient:& Iussa capessent
Centriboni imites:Cesi:Sæuiq; megalle
Indomiti:pacem pariter regesq; perosi
Innumerisq; uiris:magnisq; elephantibus acres:
Asangiq; truces:chriseiq;:& parasange
Anguibus innumeris:Infesta:& tigribus ora:
Et surre dariq; feri:Celeresq; scatentes:
Nec nõ:& singe:maroes:Sæuiq; ararungæ:
Maltechoræ:masuæq; etiam:fortes morũtes:
Pangugæ:atq; iali:Montesq;:& saxa colentes
Libera gens:populiq; feri:regnoq; carentes.
Nareiq; etiam reclusi montibus altis:
Orateq; ferox:munita palustribus undis:
Automele insignis:fluuiorum in littore quinq;
Nobilis emporiis:& fructibus inclita multis:
Et pande:ut perhibent indarum sola uirorum

Femineum perpessa iugum gens tempore longo:
Derãgeq; graues:possingæq;:& sirieni:
Ac buze instabiles:nereiq;:umbreq; superbi:
Et nobudæ imites:bracosi:& gogiarei
Organagæ:Sibareq; etiam:rapidiq; ahaortæ:
Sarrofagi rabidi:Sorge:celeresq; suertæ:
Neseiq; feri:megari:seuiq; cotõdæ:
Ordabæq; etiam:Mesæ:fortesq; bolingi
Abbisuri:Sileniq; truces:& diues amata
Atq; orga:infelix:petracate:atq; oloaspes:
Ipsorumq; ingens populorum regia felix
Insignisq; uiris opibusq; bucephala quondam:
Suppliciter uenient:& se suaq; omnia tradent
Caucaseisq; etiam subiecti montibus altis:
Innumeri populi:gentesq;:urbesq; beatæ
Solleade primi:Sambraceni:& brisabritæ.
Arsagaliq; truces:pariter peucoq; laites:
Atq; etiam populis immitis a mãdria multis:
Vrbs celebrata diu:frugibusq; & mercibus apta:
Gedrosiq; alacres:uenient: Seuiq; aracosi:
Insignes satrape:reges:proceresq; potentes
Post hos aduenient Arii gens aspera bello
Diuitiisq; simul:gẽmis auroq; decori
Hermãdo irriguis campis pariterq; cophete
Nisa ferox etiam crocaleq;:& bibaga diues:
Conchiliis magnis uariis & piscibus:atq;
Aspagone:Lauris:pomisq; & uitibus albis:
Ac numero uolucrum diues:pariterq; ferarum.
Quiq; colunt merũ celsum bromioq; dicatũ:
Vnde Iouis perhibẽt bacchum de fœmine natum.

Taprobaneq; etiam populi quos insula gignit
Alter:& ut fama est terrarum maximus orbis:
Oppida quam perhibent ueteres quingenta tenere
Atq; auro & gēmis:pomis:frugibusq; referta.
Ac pecore innumero:uariis auibusq; feris q;
Bisq; etiam totidem uiris sine fine beatis:
Qui licet immites animo sint atq; superbi.
Attamen aduenient humiles & iussa capessent
Verum ubi perueneris Iudeæ ad regna proteruæ:
Inuenies cunctas munitas gentibus urbes
Tormentisq; feris uallisq;:& mœnibus altis.
Soldanusq; etiam ueniet cognomine magnus
Innumeros pedites ducens:equitesq; feroces:
Instructos armis leuibus:magnosq; elephantas:
Atq; etiam fortes uenient secum mamaluchi:
Immites animo:nouiesq; uenūdata turba:
Christicolum proles quondam:nūc perfida corda
Machmetem miseri miserum uenerātur amantq;:
Et sacram iuxta solimā sua castra locabit
Componetq; locum circūdans aggere magno.
At tu sancte pater:lætus tua classica pones
Firmabisq; etiam magno tentoria uallo:
Et fossa ingenti:pariterq; & turribus altis
Non procul a sacri:Iordanis dulcibus undis:
Inquo iam dominus baptisma assumere sanctū
Saluator uoluit noster:Corpusq; lauare
Qui nos in proprio dignatus sanguine lauit
Absterlitq; omnes scelere:& peccata remisit
Effecitq; sibi sotios regniq; sodales:
Aetherei:uitāq; dedit post fata beatam

Vtq; sua semper facie sine fine fruamur.
Præmittesq; tuos equites: popularier agros:
Adducentq; tibi prædas: hostemq; lacessent.
Interea occiduis ueniens rex clarus ab oris
Victor aragonius: qui nuper bella gerebat
Deuincet cunctos aphros: numidasq; feroces:
Aethiopasq; truces. getulosq;: & garamãtas:
Regia quibus erat: Garadamũ nobile quondam:
Ac psilos suetos sæuos mulcere cerastas:
Anguibus & cunctis cantu compescere uirus:
Marmaridasq; leues: nigritasq; & sasamonas:
Et zubil: exemptam regum ditionibus urbem:
Massesulosq; etiam: tinicã: pariterq; Tigauẽ:
Et ualidam Antei memorantem funera lixum:
Quem ferus alcides: Complexus fortibus ulnis
Erreptum e terra: uiolenta morte perhemit.
Sinonimoq; etiam persusam flumine salam:
Autolobasq; truces quondam: & sæuos mulelachas:
Ciniphiosq; Macas: Taphrã: rapidosq; abrothomos:
Atq; aleram: leptimq; simul: ualidũq; rusardir
Quiq; uident geminas sirtes: acrũq; borion:
Atlantemq; senem: qui uertice sustinet orbem:
Quiq; colunt tamude ripas: sygæq; profundi:
Atq; lacus ueteris: ueterẽ licomedis & urbem
Insignem populo: nec non pallantia rura
Tritonisq; seruut campos: metuntq; paludis
Vnde ferunt ueteres generatam pallada uates:
Taucheräq; etiam: barcem magnã: & Catabathmũ
Asbitemq; trucem: Matelgamq;: & berenicẽ
Quiq; bibunt stigium referentem obliuia lethon

Quicq; domos faciunt paruas habitantq; salinas:
Ingentemq; etiam ueterem ditéq; Cyrenem:
Callimachi natale solum memorabile uatis:
Sinesiiq;:patris claræ ptolemaidos olim:
Meningem & thoiar:cercinãq; & lopadussam
Ac blemios oculos atq; os in pectore habentes:
Quis natura caput miseris collũq; negauit:
Ocalicasq; truces:Satiros:nec non Taraleos:
Innumerosq; alios populos gentesq; feroces:
Torrida quos genuit nimium Maurusia Tellus:
Festinabit iter gaudens:& iungere castris
Castra tuis:& signa ferox properabit & arma.
Quod simul audierit Maurus furibundus & ardens
Arma amens capiet properans pugnãq; parabit:
Atq; aciem ingentem mauro de more trahendo
Instruet in castris:nec nõ & signa mouebit.
Parte alia lætus Cæsar fortissimus heros:
Atq; ipse instituet Macedum de more phalangem
Et cuneos aciemq; feram:fortesq; maniplos
Educetq; duces ad pugnam exordine cunctos:
Inq; humiles cãpos statuet:martemq; lacesset:
Interea adueniet contra soldanus & ipse
Ante aciem properans etiam:pugnare paratus.
Attamen aspiciens aquilas:& signa superba
Christicolum:Moréq; pium ritumq; decorum:
Abstinere omnes:pugnaq; armisq; iubebit.
Atq; ipse incedens:parua comitante caterua
Ante aquilas stabit ille tuas: & singula lustrans
Signa oculis gaudens:ritum mirabitur omnem
Verum ubi conspicuũ in medio radiare triformis

Vexillum aspiciet magnum:dominiq; deiq;:
Inq; cruce ingenti dominum pendere uidebit:
Factoremq; suum:totum qui condidit orbem:
Sanguine dispersum:& spinis caput undiq; cinctum:
Ex templo pietate noua sua corda mouebit
Compunctusq; animo:lachrymis soldanus abortis
Atq; etiam recolens:fidei memor ille parentum:
Desiliet uenerandus equo: & de more uetusto
Sese sternet humi:Lachrymisq; rigantibus ora
Sponte deum trinũ pariter ueneratus & unum
Lætus adorabit:dominumq; fatebitur ultro:
Factoremq; orbis: Saluatoremq; potentem
Aeternum:qui cuncta uidet:qui cuncta gubernat
Post hæc exurgens humilis:Comitantibus ipsis
Maurorum ducibus magnis:simul & Mamaluchis
Supplicibus cunctis:pedibus properantius omnes
Ad te sancte pater uenient:& poplice flexo
Te dominum patremq; pium: sine fine beatum
Pontificemq; dei uerum:Sanctumq; uocabunt:
Cumq; suis sotiis:ducibus:dominisq; uirisq;
Christicolæ fient omnes:& sponte petentes
Baptisma accipient sanctum:ueteremq; negabunt
Machmetis sectam miseri:Christumq; sequentur.

Caput Septimum & Vltimum.


Aec inter ueniet pariter fortisq; piusq;
Rector aragonius:Secum:gentesq;: ducesq;
Deuictas ducẽs:pceres:dominosq; potẽtes:
Ante pedes:statuetq; tuos:& iussa capescẽs:

Creuerunt placidæ placidisq; in montibus umbræ
Illi notus ego nobis sua munera sunt hæc
Tygridis exuuiæ cinctumq; uirentibus olim
Hoc hederis baculum nunc aurea serta gerentem
Magna dedit neq;.n.tanti te muneris unquam Ti.
Immemorem esse decet/non si tibi longa daretur
Tempora continuis donec soluatur ab annis
Mundus & ætherëis renouentur sæcula flammis
Tityre tunc madido frondebunt cana decembri Co.
Lylia tunc gelidis rorabit nubibus ardens
Syrius & tardi properabunt plaustra bootæ
Cum meus ille meo labetur pectore princeps
Si placet hunc igitur pariter cantabimus:ille Ti.
Me quoq; cum simili iuuenem deuixit amore
Quantum non hederæ uitem non uitis amicam
Brachia fundentem quæ circum amplectitur ulmũ
Quid faciã princeps?laudari dignus:at ingens Co.
Gloria precipuis iam dudum ornata triumphis
Cum supit imbeles trepidant noua pondera musæ
Incipe quod quondam prima te luce canẽtem Ti.
Sensimus arguti gelida de rupe capelli
Plaudite hamadryades uiridiq; ex arbore sertum
Implicet errantes per candida colla capillos
Nam meus alcides patrias remeauit ad arces
Plaudite:iocundo resonent sua littora plausu
Non indigna petis/sed nobis tendere ad urbẽ Co.
Est opus(ut nosti) & domino sua reddere dona
Nunc etiam medio titan sublatus olympo
Tollitur & timeo ne longis tempora desint

Versibus & nigra rumpantur carmina nocte
Est iter hoc etiam nobis: nam poma fauosq; Ti.
Hæc mutinæ ferimus tecum ueniemus ad urbem
Et postquam iuuenes ambo cantemus euntes
Cãtemus uel quæ cecini modo carmina dũ me Co.
Spectaret placido cantantem lumine princeps
Florida lasciui redierunt tempora ueris
Et frondosa uirent surgentis brachia siluæ
Picta colorato uariatur gramine tellus
Puraq; desertis decrescunt flumina ripis
Nunc decet urgentes animi seponere curas
Et niueum uaria crinem cohibere corona
Nũc decet ad festas iuuenem lusisse choreas
Sparge rosam & placidi ueniant bõa numina bacchi
Vel quæ iam dudum nymphis modulata canebã
Frigida qua celeris labuntur flumina circæ
Mollis amor blanda perfusus mẽbra quiete
Accubat & placidum suspirat naribus ignem
Spicula ne quicquam nullo custode sub alta
Fixa iacent pinu celeres properate napeæ
Ite simul roseæ driades rapite arma suisq;
Prælia temnẽtem puerum configite telis
Dum te rura tenent corydon tibi numina fontis Ti.
Castalii uarias uario de flore coronas
Texunt/ & liquida laudant tua carmina uoce
Quid faciam? semper ferulis cõponere uites Co.
Semper & adiunctis cõponere uitibus ulmos
Errantis pecudes longis seruare diebus
Et piget & duro res non tolerãda labore est.

Sed procul aducteras uideor mihi cōpita querchus.
Cernere equos equitesq; en aspicis? ille superbum
Cornipedem uexans/cui splendet proxima phœbo
Candida cesaries/cui dulcia lumina fulgent
Ille sigismondus domini germanus/at ecce
Lux mea progreditur ceu sydere purior omni
Lucifer aurato depellit nubila uultu
Iā uicinus adest pariter properemus ad illū. Ty.

Mathei mariæ boiardi comitis. Orpheus incipit.

SI mea lasciuis princeps inuicte thalia
Carminibus stridens castas offenderit aures
Da ueniam: primis tibi talia ludimus annis
Dum faciles uersus & mollia uerba canentem
Oblectant blando dum mens torquetur amore
Tempus erit cum te uictricia signa gerentem
Læta triumphali celebrabunt carmina cantu.
At nunc cœpta canam: crudelia numina nymphæ
Formosum nitidis puerum rapuere sub antris
Qui comes alcide fatales ire per undas
Ausus erat/tumidos cum fluctus finderet argo
Abreptum clari proceres fleuere sed omnes
Ante alios magno ploratus ab hercule fertur:
Non illum comites/non illum blandus iason
Eruere inde ualent solitoq; auertere luctu.
Sed gemit/& carum deiecto proditus ore
Ardet hylam & mœstis exposcit uocibus illum.
Quin etiam pharetras & torui magna leonis

Tegmina, & horrentis fortissima robora clauæ
Fregisse, & fluctu referunt mandasse marino
Quas non blandicias: quæ non solamina dixit
Threitius uates moturaq; uerba leænas:
Ille etiam dulci pereuntem flectere cantu
Nixus & impulsis lachrymas expellere chordis
Sed neq; pierii cantus nec carmina flentem
Vlla mouent, q̄q̄ zephyris spirantibus æquor
Constitit & fixo stupuerunt æquore uenti.
Quāq̄ continuis torpentia saxa pruinis
Dulciaq; arguti senserunt carmina montes
Securas placidi capreas fouere leones
Et træpidæ medio uolucres hesere uolatu.
Ille estense decus patriæ non inscius artis
Venturosq; dies & secula nostra canebat.
Quid gemis alcyde dixit tua nomina tellus
Audiet argoo nondum religata rudente
Te gelidi rapto memorabunt uellere colchi
Torrida te libye rapto busiride, & olim
Pastor ab edomito diues remeabis hybero
Adde q̄ hoc nomen se se fortissimus heros
Inducet armato, cui non impune superbus
Occurrat mauors, cui non ledæus ouanti:
Certet equis castor, celeri nec delia cursu
Fœlices populi fœlicia tempora uobis
Delicium humanæ seruarunt sydera gentis
Illi precipuas certabunt addere dotes
Concordes parcæ non illum pulcher apollo
Exuperet forma; docto non pectore pallas;

Illius & uariæ uestigia lambere lynces
Cogentur/domitusq; deum:uenerabitur orbis.
Quamuis terribili clava spolioq; leonis
Lernæoq; carens saturata felle pharetra
Nascere uera deum soboles quo principe rursus
Herculis hesperiæ celebrabunt nomina gentes
Nascere purpureis plaudet tibi iuppiter alis
Et dabit ingentes regno superaddere terras
Antiquo neq;.n.sinuoso flumine cyncta
Arua padi nec te niueis concreta pruinis
Ardentem gelidi capient dumeta lonati
Nec latus hadriaco pulsatum turbine:nec qua
Frigida saxosas perstringit lentia ripas.
Gaude igitur tantum felix geniture nepotem
Alcide:raptumq; suis concede napeis
Tandem sanus hylam quid flentia lumina torques?
Altaq; laxato suspiria pectore ducis?
Tunc ille immenso cuius sub robore quondam
Concidit argiui populatrix belua saltus?
Cuius terrigenæ uultum tremuere gigantes?
Antæusq; libis:nunc si te monitus alta
Rupe iacens flentem uideat:si turbidus ira
Ileus fractaq; horrendus ab ilice rœthus
Quam pudeat uictos:muliebri insistere luctu
Sit pudor & tenero tantum cessisse dolori
Orpheus hæc olim/sed nuuc mihi carmine uero
Cantandus uenies:linquam uirgulta licæi
Et nemus:& pecudes:teq; horrida bella gerentem
Dicam;seu puero propior certare duello

Ausus es ancipiti: cum te pandonius heros
Robore confisus patranti & fortibus annis
Liquit & impulsis conuertit terga lupatis
Cornipedem crebris pauidum calcaribus urgens
Seu cum ludus erat iuuenum percurrere in hastis
Ingentem ut tuleris ingenti robore remum
Tollere humo quem uix poterant impune gemẽtes
Vidit parthenope: populi uidere: ducesq;
Notus & herculeo seruatur nomine remus.
Magna quidem sunt hæc: sed enim puerilia quid cũ
Iam iuuenis iam uir siculos calabrumq; fugacem
Disicis: & uiso trepidant adamante cohortes
Aragonum/tum rex astris sarnoq; relicta
Appula ueloci transmisit pascua cursu
Ista canam/uel quæ gestis maiora parantur
Gesta tibi ingentes (aderint si bella) triumphos
Auguror/augurium non hoc mihi pandit apollo
Nec uaga cyrreo uates seclusa sub antro
Sed tua iam cœlo/ & terris bene cognita uirtus.
Interea has stabulis pergam mandare capellas
Quando umbrẽ ingentes: nec tutum degere siluis.
Luce sub extrema: ne forte aut turba luporum
Ingruat: aut imbres subiti cras altera reddam
Munera: maiori cantandus carmine surgis .·.

FINIS LAVS DEO

Registrũ a.b.c.d.e.oẽs sunt q̃terni . & duern⁹ est.f.



Impressum regii per me Vgonem rugerium ciuem regiensem. Anno domini.M.cccce. die.i.octobris

